Sancti DD. intercedite
pro nobis

Jezu na krzyżu
Jezu moy moy Jezu
konaiący za mnie. momenta
twe: konania y smierci twey
przenaydroższey momenta
konania y smierci mey poświę
cam ofiarnie złącza, niech
będzie smierc twoia żywo
tem moim Jezu moy

~~[illegible]~~
~~[illegible]~~
~~[illegible]~~
~~[illegible]~~

Jesu moy, moy JEZU na
Krzyżu konaiący za mnie,
momentowi konania y
śmierci Twey przenayświę-
tszey, moment konania
y śmierci mey poświęcam
ofiaruię, złączam, niech
będzie śmierć twoia zbawien
moim, JEZU moy Amen.

SELECTÆ

DEVOTIONES
AUCTIORES
AD
PRETIOSISSIMAM
VIRGINEM
MARIAM.
SANCTOS
PATRONOS
VARIOS
&c. &c. &c.

PERMISSU SUPERIORUM
REIMPRESSÆ.

SANDOMIRIÆ,
Typis S. R. M. Collegii Soc: JESU.
Anno Domini 1739.

Quando orabas, ego obtuli orationem tuam Domino.

Tob. 12.

Angeli præsunt fidelium Orationibus, & eas quotidie DEO offerunt.

S. Hilarius.

Ad Lectorem.

HAbes benevole Lector, SELECTAS DEVOTIONES, è diversis quasi agris in manipulum unum Tuo fervori comparatas. Parvâ mole sunt, & exiguâ, super humanas tamen vicissitudines evolanti Animæ pondus addunt; tum ut æquabili volatu à vero non deflectat, tũ ut (quod mireris) super omnia faciliùs se extollat; pondus enim non gravat a-

nimum,

nimum, quod imponit Divinus amor. Varia dedimus & diversa, vel ut, cúm non omnibus eadem sæpe placent, delectus esset, velut profusæ multorum pietati hoc compendio serviremus. Finem spectavimus non alium, quã ut in omnibus laudetur DEUS. Hoc si laboris mei (qualis qualis ille sit) pretium à Te retulero, desideriorum meorum mihi plenitudinem, Amice Lector, jam dedisti. Vive, vale.

DE

DE ANNO, ET EJUS PARTIBUS.

ANnus menses habet duodecim, hebdomadas duas & quinquaginta, & diem unam, dies verò trecentos sexaginta quinque, & ferè sex horas: tantô enim temporis intervallô Sol Zodiacum perlustrat, Quater autem sex horæ singulis quaternis annis diem constituunt: hinc annus ille intercalaris, Bissextus vel Bissextilis dicitur.

De Anni correctione, ejusque necessitate, ac Kalendario Gregoriano.

QUod dictum est, Annum continere trecentos & sexaginta quinque dies, & ferè sex horas, intelligendum est sex horas non esse integras: cùm ad earum complementum aliqua minuta deficiant.

Ex quorum minutorum neglectu progressum est, ac si annus ultra dies 365. contineret integras sex horas; & factum est, ut minuta, quæ ultra debitam quantitatem annis singulis tribuebantur, tractu temporis ità excreverint, ut invicem juncta constituerint dies decem; qui causam dederunt ut Æquinoctium vernum sedem suam mutaverit.

Cui malo occurens Gregorius XIII. non solùm Æquinoctium vernum restituit in pristinam sedem, à qua jam Concilio Niceno, decem circiter diebus in anno correctionis 1582. præcedendo recesserat quod à Concilio ad XII. Kalen:

Aprilis

Aprilis fuerat constitutum, & XIV. Lunam Paschalem suo in loco reposuit; sed viam quoq; tradidit, & rationem quâ cavetur, ut imposterum & Æquinoctium vernum, & xiiii. Luna Paschalis à propriis sedibus nunquam removerentur.

Ut enim Æquinoctium vernum ad duodecimum Kalendas Aprilis restitueretur statuit, ut dicti decem dies in mense Octobri ipsius anni 1752. eximerentur, ut post quartam diem Octobris Sancto Francisco sacram, sequens dies non esset quinta, sed decimaquinta Octobris, & ita error, qui in præteritorum tot annorum circulis irrepserat, in momento temporis fuit correctus.

Ut autem in posterum idem error vitaretur nè à xij Kalen: Aprilis Æquinoctium vernum recederet, statuit idem Gregorius Bissextum quarto quoque anno uti mos est) continuari debere, præterquam in centesimis annis, qui quamvis Bissextiles antea semper fuerint, qualem etiam esse voluit annum 1600. anno correctioni proximum, post eum tamen, qui deinceps consequentur centesimi, non omnes Bissextiles essent, sed in quadringentis quibusq; annis, primi quiq; tres centesimi sinè Bissexto transigerentur: quartus verò quisq; centesimus esset Bissextilis, ita ut annus 1700. 1800. 1900. Bissextiles nõ sint, annô verò 2000. more consueto, dies Bissextus intercaletur Februario dies 29. continente: idemq; ordo intermittendi intercalandique Bissextum diem in quadringentis quibusque annis perpetuo conservaretur.

Ex

Ex quot diebus conſtet unusquiſq; menſis.

TRiginta Aprilis, Iunius, Septemq; Novemq;
Unô plus alij, viginti Februus Octo:
At ſi Biſſextuſ fuerit, ſuperadditur unus,
Et tunc bis ſexto Marti conſcribe Kalendas.

Denum: Nonar: ac Iduum ſingulor menſium.

SEx Nonas Majus, October, Iulius, & Mars.
Quatuor at reliqui, dabit Idus, quilibet, octo.
Notandum, primô quoq; die menſis dicendum, Kalendîs: quintô, Nonîs, decimotertiô, idibûs; ubi Nonæ quatuor: ubi verò ſex, ſeptimô, Nonîs: decimoquintô, Idibûs: in caſu ſexto. Reliquîs autem diebus, pridie tertio, quarto Kalendas, aut nonas, aut Idus in caſu quarto, retrorſum numerando uſq; ad eum diem, quo aut Kalendîs, aut Nonîs, aut Idibûs dicimus, quod apud probatiſſimos quosque licet intueri.

Quando inchoetur Adventus Domini.

ADventus Domini inchoatur Dominicâ proximiore feſto S. Andr: vel ipſa die S. Andreæ, ſi in Dominica venerit.

Quatuor Tempora.

QUatuor Tempora celebrantur quartâ & ſextâ Feriâ, ac Sabbathô poſt tertiam Dominicam Adventûs, poſt primam Dominicam Quadrageſimæ, poſt Dominicam Pentecoſtes, poſt feſtum Exaltationis S. Crucis.

Nuptiæ juxta decretum Concilij Tridentini

A Dominica prima Adventus uſq; in diem Epiphaniæ, & à Feria 4. Cinerum uſq; in Octavam Paſchatis incluſivè, ſancta Synodus ſolemnitates nuptiarum probibet, in alijs verò temporibus nuptias ſolemniter celebrari permittit,

TABULA TEMPORARIA.

Anni Dni	Lit. Dom.	Cycl: sola:	Septuagesima	Dies Cinerum.	Pascha.
1740	cb	13	14 Febr.	2 Martii.	17 Aprilis
1741	A	14	29 Janu.	15 Febr	2 Aprilis
1742	g	15	21 Janu	7 Febr	25 Martii
1743	f	16	10 Febr.	27 Febr.	14 Aprilis
1744	ed	17	2 Febr.	19 Febr.	5 Aprilis
1745	c	18	14 Febr	3 Martii	18 Aprilis
1746	b	19	6 Febr.	23 Febr.	10 Aprilis
1747	A	20	29 Janu	15 Febr.	2 Aprilis
1748	gf	21	11 Febr	28 Febr	14 Aprilis
1749	e	22	2 Febr.	19 Febr	6 Aprilis
1750	d	23	25 Janu.	11 Febr	29 Martii
1751	c	24	7 Febr.	24 Febr	11 Aprilis
1752	bA	25	30 Janu:	16 Febr	2 Aprilis
1753	g	26	18 Febr.	7 Martii	22 Aprilis
1754	f	27	10 Febr.	27 Febr	14 Aprilis
1755	e	28	26 Janu.	12 Febr.	30 Martii
1756	dc	1	15 Febr.	3 Martii	18 Aprilis
1757	b	2	6 Febr.	23 Febr.	10 Aprilis
1758	A	3	22 Ianu.	8 Febr.	26 Martii
1759	g	4	11 Febr:	28 Febr:	15 Aprils
1760	fe	5	3 Febr.	20 Febr.	6 Aprilis
1761	d	6	18 Ianu.	4 Febr.	22 Martii
1762	c	7	7 Febr.	24 Febr.	11 Aprilis
1763	b	8	30 Ianu.	16 Febr.	3 Aprilis
1764	Ag	9	19 Febr.	7 Martii	22 Aprilis
1765	f	10	3 Febr	20 Febr.	7 Aprilis
1766	g	11	26 Janu.	12 Febru:	30 Martii

FESTORUM MOBILIUM.

Ascensio	Pentecoste.	Corpus Christi.	Dnicæ post Pent	Domi. 1 Adv:
26 Maii	5 Iunii	16 Iunii	24	27 Nov:
11 Maii	21 Maii	1 Iunii	27	3 Decem.
3 Maii	13 Maii	24 Maii	28	2 Decem.
23 Maii	2 Iunii	13 Iunii	25	1 Decem.
14 Maii	24 Maii	4 Iunii	26	29 Nov:
17 Maii	6 Iunii	17 Iunii	24	28 Nov:
19 Maii	29 Maii	9 Iunii	25	27 Nov:
11 Maii	21 Maii	1 Iunii	27	3 Decem.
23 Maii	2 Iunii	13 Iunii	25	1 Decem.
15 Maii	25 Maii	5 Iunii	26	30 Nov:
7 Maii	17 Maii	28 Maii	27	29 Nov:
20 Maii	30 Maii	10 Iunii	25	28 Nov:
11 Maii	21 Maii	1 Iunii	27	3 Decem.
31 Maii	10 Iunii	21 Iunii	24	2 Decem.
23 Maii	2 Iunii	13 Iunii	25	1 Decem.
8 Maii	18 Maii	29 Iunii	27	30 Nov:
27 Maii	6 Iunii	17 Iunii	24	28 Nov:
19 Maii	29 Maii	9 Iunii	25	27 Nov:
4 Maii	14 Maii	25 Maii	28	3 Decem.
24 Maii	3 Iunii	14 Iunii	25	2 Decem.
15 Maii	25 Maii	5 Iunii	26	30 Nov:
30 Apri.	10 Maii	21 Maii	28	29 Nov:
20 Maii	30 Maii	10 Iunii	25	28 Nov:
12 Maii	22 Maii	2 Iunii	26	27 Nov:
31 Maii	10 Iunii	21 Iunii	24	2 Decem.
16 Maii	26 Maii	6 Iunii	26	1 Decem.
8 Maii	18 Maii	29 Maii	27	30 Nov:

JANUARIUS.

1 A *Circumcisio Domini*
2 b Marcellini Adoles: M.
3 c Genovefæ Vir.
4 d Titi Episc:
5 e Vigilia finè jejun. S. Thelesphor.
6 f *Epiphania Domini.*
7 g Luciani Mar. Isidori Conf.
8 A Severini Abbatis.
9 b Celsi pueri & Marcianillæ MM.
10 c Agathonis Papæ Conf.
11 d Hygini Papæ Mar.
12 e Satiri & Arcadii MM.
13 f Quadraginta Militum MM.
14 g Hilarii Episc. & Felicis Pres: Mart.
15 A Pauli 1. Ere. Mauri Ab. Joan. Cali.
16 b Marcelli Papæ M.
17 c Antonii Abbatis.
18 d Cathedra S. Petri Romæ.
19 e Henrici Ep. Mart. Canuti Regis.
20 f Fabiani & Sebastiani MM.
21 g *Agnetis Vir. & Mart.*
22 A Vincentii & Anastasii MM.
23 b Desponsat. B. V. M. cum S. Joseph
Emerentianæ V. M. Ioan. Eleem.
24 c Timothei Ep. M. Urbani M.
25 d Convèrsio S. Pauli Apostol.

26 e

26 e Policarpi E. M. Paulæ Viduæ
27 f Ioannis Chryfoftomi Ep. Conf
28 g Agnetis V. Cyrilli Ep. Alexan.
29 A Francifci Salefii E. C.
30 b Martinæ V. M.
31 c Petri Nolafco C.

FEBRUARIUS.

1 d Ignatii E. M.
2 e *Purificatio B. V. MARIÆ.*
3 f Blafii Epis. Mart.
4 g Anfgarii Ep. C.
5 A Agathæ Vir. Mart. Pauli, Ioannis, Iacobi MM. S. I.
6 b Dorotheæ V. M.
7 c Romualdi Ab. Richardi Regis An.
8 d Honorati Epis Conf.
9 e Apolloniæ V. Mart.
10 f Scholafticæ V. Gvilielmi C.
11 g Defiderii Ep. M.
12 A Eulaliæ V. M.
13 b Stephani Abbatis.
14 c Valentini Presbyteri Martyris.
15 d Fauftini & Iovitæ MM.
16 e Onefimi E. M. Iulianæ M.
17 f Polichronii E. M. Theoduli Senis.
18 g Simeonis E. M. Confang. Salvator.
19 A Manfveti Ep. C.
20 b Sylvani & plurimorum MM.
21 c Eleonoræ V.
22 d Cathedra S. Petri Antiochiæ.
23 e Vigilia, Lazari Monachi C.

24 f

24 f *Mathiæ Apostoli.*
25 g Victoris &c. Tharasij E. Cæsar.
26 A Nestoris Ep. M.
27 b Alexandri Abundii &c. Martyrum.
28 c Romani Abbatis C.

In Anno Bissextili Februarius est dierum 29. *& Festum S. Mathiæ celebratur* 25 *Februarii, & bis dicuntur* Sexto Kalend. *id est &* 24. *litera Dominicalis quæ assumpta fuit in Mense Januario, mutatur in præcedentem, ut si in Januario litera Dominicalis fuit A, mutatur in præcedentem, quæ est G, &c. & litera f bis servit,* 24. 25.

MARTIUS.

1 d Albini E. C. Herculani E. M.
2 e Plurimorum MM. Simplicij Ep. C.
3 f Cunegundis V. Imperatricis.
4 g *Casimiri C. P. R. P.*
5 A Translatio Venceslai M.
6 b Evagrii E. Conf.
7 c Thomæ Aquin. Eccl. Doct.
8 d Philemonis & Apollonii M. *M.*
9 e Quadraginta MM. Cyrilli & Methodii C. Pont. Franciscæ Viduæ.
10 f Caij & Alexandri M.
11 g Sophronii Ep. Conf.
12 A Gregorii Papæ & Eccl. Doct.
13 b Euphrasiæ Virg.
14 c Methildis Reginæ.
15 d Longini militis. Abraham Eremi.
16 e Heriberti Epis. C.

17 f Iosephi Arimathæi C. Gertrudis V.
18 g Cyrilli Ep. Hierosolymitani.
19 A *Josephi Sponsi Beatissimæ.*
20 b Ioachim Patris B. V. M.
21 c Benedicti Abbatis.
22 d Catharinæ V.
23 e Niconis &c. Martyrum.
24 f Simeonis pueri M.
25 g *Annuntiatio B. V. MARIÆ.*
26 A Ludgeri Ep. Conf.
27 b Ruperti Ep. C.
28 c Gunthrami Regis Francor.
29 d Quirini militis & filij ejus Quirini, pueri M.
30 e Balbinæ V. filiæ S. Quirini.

A P R I L I S.

1 f Theodoræ M. Hugonis Ep.
2 g Francisci de Paula. Mariæ Ægyp.
3 A Pancratii Ep. Nicotæ Abb.
4 b Zosimi Anachoretæ.
5 c Vincentii Ferrerii C. Irenæ V. M.
6 d Cælestini Papæ. Sixti P. M.
7 e Staturnini Ep. Conf
8 f Dyonisii Ep. Conf.
9 g Demetrii M. Mariæ Cleophæ.
10 A Ezechielis Prophetæ.
11 b Leonis Pap. Conf.
12 c Iulii Pap. Confessoris.
13 d Hermenegildi M. Iustini M.
14 e Tiburtii Valeriani & Maximi *MM.*
15 f Basilissæ & Anastasiæ MM.

16 g

16 g Caliſti Mart.
17 A Stephani Abbatis.
18 b Apollonii & Eleutherii MM.
19 c Leonis Papæ. C.
20 d Sulpicii & Serviliani Martyrum.
21 e Anſelmi E. C. Anaſtaſii Synaitæ E.
22 f Soteris & Caii Pontif. MM.
23 g *Adalberti Ep. Mart. P. R. P.*
24 A Alexandri M. Meliti Ep. C.
25 b Marci Evangeliſtæ.
26 c Cleti & Marcellini Pont. MM.
27 d Anthimi E. M. Anaſtaſii Papæ.
28 e Vitalis & Valeriæ MM. Conjugum.
29 f Petri M. Roberti Ab.
30 g Catharinæ Senen. V. Sophiæ V. M.

MAJUS.

1 A *Philippi & Jacobi Apoſt.*
2 b Athanaſii E. C. Sigismundi Regis M.
3 c *Inventio S. Crucis.* Alexandri P.
4 d Floriani M. Monicæ Viduæ.
5 e Angeli M. Creſcentianæ. M.
6 f Ioannis ante portam Latinam. Ioannis Dam. E.
7 g Flaviæ Domitillæ V. M.
8 A *Staniſlai Ep. Mart. P. R. P.*
9 b Gregorii Nazianzeni Ep. C.
10 c Apparitio S. Michaëlis Archan.
11 d Mamerti Epis. Conf.
12 e Nerei, Achillei &c. MM. Epiphanii.
13 f Servatii E. C. Ioannis Silentiarii.
14 g Paſchalis Papæ. Pachomii Ab.

15 A

15 A Dympnæ V. M. filiæ Regis Hiber.
16 b Ubaldi E. C. Ioannis Nepomuc. *M.*
17 c Brunonis Ep. Conf.
18 d Venantii M. Erici Regis M.
19 e Cælestini Papæ. Pudentianæ Vir.
20 f Bernardini Senens. C.
21 g Secundi Presbyteri & M.
22 A Iuliæ V. M. Basilisci M.
23 b Desiderii V. M. Mercurialis Ep.
24 c Afræ M. Donatiani & Rogatiani MM. Ioannis Francisci Regis C. S. J.
25 d Magdalenæ de Pazis V. Eleutherii. Papæ Mart.
26 e Philippi Nerei C. August. E. Ang.
27 f Ioannis Pap. Restitutæ Vir.
28 g Germani Ep. Conf.
29 A Maximi Ep. Conf.
30 b Felicis P. M. Basilii & Emmeliæ Parentum Basilii Magni.
31 c Petronillæ V. Cantii, Cantiani, & Cantianidæ Fratr. MM.

JUNIUS.

1 d Iuventii & Pamphilii MM.
2 e Marcellini Petri & Erasmi MM.
3 f Pergentini & Laurentini MM.
4 g Optavi Ep. C. Saturninæ V. M.
5 A Bonifacii E. M. Saucii adolesc. M.
6 b Norberti E. C.
7 c Pauli Ep. C. Roberti Abb.
8 d Maximi & Medardi E. C.
9 e Primi & Feliciani MM. Pelagiæ V. M.

10 f Getuli &Soc. MM. Margaritæ Reg.
11 g Barnabæ Apostoli.
12 A Basilidis, Cyrini, Naboris, & Nazarii Martyrum.
13 b Antonii de Padua Conf.
14 c Basilii Magni Ep C. Elisæi Prop.
15 d Viti Modesti & Crescentiæ MM.
16 e Quirici Puelli, & Iulittæ Matris ejus MM. Ludgardis V.
17 f Ducentorum sexaginta duor. M. *M.*
18 g Marci & Marcelliani Fratrum Martyrum. Martinæ V.
19 A Gervasii & Protasii Fratrum MM.
20 b Silverii Pap. M. Florentinæ V.
21 c Aloysii Gonzaga Conf. S. J.
22 d Paulini Ep. Decem Millium MM.
23 e Vigilia. Ediltrudis Reginæ V.
24 f *Nativitas S. Joannis Baptistæ.*
25 g Sosipatri Ep. C. Guilielmi C.
26 A Ioannis & Pauli Fratrum MM.
27 b Ladislai Reg. Hung. Crescentis M.
28 c Vigilia. Irenei Episc. M.
29 d *Petri & Pauli Apost.* Bendictæ V.
30 e Commemoratio Pauli Apost.

JULIUS.

1 f Romualdi *M.* Filii Regis Scotiæ.
2 g *Visitatio B. V. MARIÆ.*
3 A Hyacinthi M. cubicularii Trai. Im.
4 b Elisabeth Reg. Portugal.
5 c Domitii & Cyrillæ MM.
6 d Tranquillini M. Isaiæ Proph.

9 e Vilibaldi E. C. Edilburdæ V.
8 f Quinquaginta Militum MM.
9 g Cyrilli E. Anatuliæ.
10 A Septem Fratrum Martyrum.
11 b Pii Papæ M. Abundii Presb.
12 c Ioannis Gualberti Ab.
13 d *Margaritæ V. M.*
14 e Bonaventuræ Episc. Conf.
15 f Divisio 12. Apostolorum.
16 g B. V. M. de Monte Carmelo.
17 A Alexii C. Marcellianæ V.
18 b Simonis de Lipnica Conf.
19 c Henrici Primi Imper.
20 d Eliæ Proph. Ioseph justi.
21 e Praxedis V. M. Danielis Proph.
22 f *Mariæ Magdalenæ.*
23 g Apollinaris Ep. Mart.
24 A Vigilia. Cunegundæ V. Christinæ Virg. M.
25 b *Jacobi Apost.* Christophori Mart.
26 c *Annæ Matris B. V. M.*
27 d Pantaleonis M. Septem Fratum dormientium.
28 e Nazarii & Celsi pueri, Victoris Papæ MM. & Innocentii Papæ.
29 f Olavi Regis M. Marthæ V,
30 g Abdon & Sennen Mart.
31 A Ignatii Conf. Fun. S. J. Helenæ Viduæ.

AUGUSTUS.

1 b Petri ad Vincula. Septem Fratrum Machabæor.

2 c Stephani Pap. Theodoræ cum tribus filiis.
3 d Inventio S. Stephani Proto-Mart.
4 e Dominici Conf. Eleutherii M.
5 f Dedicatio S. Mariæ ad Nives.
6 g Transfiguratio D. Sixti sec. P. M.
7 A Cajetani C. Donati E. M.
8 b Cyriaci Largi Smaragdi MM.
9 c Vigilia. Romani Mart.
10 d *Laurentii Mart.*
11 e Tiburtii & Susannæ V. MM.
12 f Claræ V. Harculianj Ep. C.
13 g Hyppoliti & Cassiani MM.
14 A Vigilia. Eusebii C.
15 b *Assumptio B. V. MARIÆ.*
16 c Rochi C. Titi Diaconi Mart.
17 d Liberati, Maximi pueri, &c. MM.
18 e Agapiti pueri M. Helenæ Matris Constant. Imper.
19 f Julii Senatoris Rom. Theclæ V. M.
20 g Bernardi Abbatis. Stephani Regis. Hungar.
21 A Bassæ & trium filiorum Martyrum.
22 b Timothei Hyppoliti & Symphoriani Martyrum.
23 c Vigilia, Claudii Asterii, & Neronis. Fratrum Mart.
24 d *Bartholomæi Apost.*
25 e Ludovici Regis Gal. Genesii M.
26 f Zephyrini Pap. Mart. Simplicii & Filiorum ejus. Constantii & Vict.
27 g Marcellini, Manneæ Uxoris & Filiorum MM.

28 A

28 A Augustini Episc. C. Hermetis M.
29 b Decollatio S. Ioannis Baptist.
30 c Felicis & Audacti MM. Rosæ V.
31 d Raymundi Nonnati C.

Dominicâ proximâ post Assumptionem, S. Hyacinthi Conf. P. R. Poloniæ.

SEPTEMBER.

1 e Ægidii Abb. Duodecim Frat. MM.
2 f Maximæ M. Iusti Ep. C.
3 g Basilissæ puellæ Serapiæ, Euphroniæ VV. Martyrum.
4 A Rosaliæ V. Moysis Legisl. & Proph.
5 b Herculani, Eudoxii &c. mille centum Martyrum.
6 c Onesiphori Mart.
7 d Reginæ V. M. Clodoaldi Presb. C.
8 e *Nativitas B. V. M.* Adriani M.
9 f Dorothei & Gorgonii MM.
10 g Nicolai Tolent. Conf. Pulcheriæ Augustæ Virg.
11 A Prothi & Hyacinthi MM.
12 b Hieronidis Leontii &c. MM.
13 c Eulogii Episc. Conf.
14 d *Exaltatio S. Crucis*, Cypriani E. M.
15 e Nicomedis Presb. M.
16 f Cornelii & Cypriani, PP. Euphemiæ &c. Martyrum.
17 g Impressio Stigmatum S. Francisci.
18 A Thomæ de Villanova Ep. Conf.
19 b Ianuarii Ep. & Sociorum MM.

20 c Vigilia. Euſtachij & Soc. MM.

21 d *Matthæi Apoſt & Evang.*

22 e Mauritii & Soc. MM.

23 f Lini Papæ M. Teclæ V. M.

24 g Thyrſi Diaconi & Felicis MM.

25 A Cleophæ diſcipuli Chriſti M.

26 b Ioſaphat Ep. M. Cypriani & Iuſtinæ MM.

27 c Translatio S. Staniſlai Epiſc. Coſmæ & Damiani MM.

28 d Venceſlai M. Euſtachiæ V.

29 e *Michaëlis Archangeli.*

30 f Hieronymi Presb. Gregor. E. Arm.

OCTOBER.

1 g Remigii E. C. Aretæ & Soc. MM.

2 A Eleutherii militis M. Theophili.

3 b Candidi Dionisij &c. MM

4 c *Franciſci Aſſiſien.* C. Marci & Marciani Fratrum, &c. innumer MM.

5 d Placidi Eutychii Victorini Fratrum & Flaviæ V. eorum Sororis.

6 e Brunonis C. Magni E. C.

7 f Beatiſſimæ de Victoria. Marci Papæ C. Sergii. &c. MM.

8 g Brigittæ Viduæ. Simeonis ſenis.

9 A Dionisii, Ruſtic i, & Eleutherii MM.

10 b Franciſci Borgiæ S. J. C. Gratiarum Actio pro victoria Chocimenſi.

11 c Tharaci Probi & Andronici MM.

12 d Felicis & Cypriani Epiſc. MM.

13 e Carpi diſcip. S. Pauli. Florentii M.

14 f

14 f Calisti Papæ M. Dominici Loricati.
15 g Hedvigis Viduæ Teresiæ Virg.
16 A Galli Abbatis. Ducentorum septuaginta MM.
17 b Edvardi C. Neronis Ep. M.
18 c Lucæ Evang. Anthenodori E.
19 d Pelagiæ V. & Sociorum MM.
20 e Translatio Adalberti Ep. M.
21 f Hilarionis Abb. Ursulæ & Sociarum 11000. VV. MM.
22 g Cordulæ V. M. Mariæ Salomeæ.
23 A Severini & Romani Episcoporum.
24 b Procli Ep. M. Felicis & Audacti &c. Martyrum.
25 c Chrysanthi & Dariæ MM.
26 d Evaristi Papæ Marty. Rogatiani Felicissimi MM.
27 e Vigilia. Elesbaan Regis C.
28 f *Simonis & Judæ Apost.*
29 g Narcissi Ep. Conf.
30 A Germani Ep. C. Marcelli M.
31 b Vigilia. Wolfgangi Ep. C.

N O V E M B E R.

1 c *Omnium Sanctorum.*
2 d Commemoratio Fidelium Defunctorum.
3 e Venefridæ Virg. M.
4 f Caroli Boromæi Ep. C. Vitalis & Agricolæ MM. Emerici Conf. Filii S. Stephani Regis Hung.
5 g Zachariæ & Elizabeth Parentum S. Ioannis Baptist.

6 A Leonardi Ep. Conf.
7 b Profdocimi & Engelberti Ep. C.
8 c Quatuor Coronatorum *MM.*
9 d Theodori militis Mart.
10 e Tryphonis Refpicii, & Nymphæ V. Martyrum.
11 f *Martini Epifc.* C. Mennæ M.
12 g Martini Papæ Mart. Quinque Fratrum Polon. Theodori Studitæ, Didaci Conf.
13 A Pafchafii Probi & Eutychiani MM. S. Staniflai Koftka Dominicâ primâ poft 13.
14 b Venerandi & Venerandæ V. M.
15 c Leopoldi C. Marchionis Auftriæ.
16 d Edmundi Epifc. Conf.
17 e Gregorii Thaumaturgi Epifc. C. B. Salomeæ V.
18 f Barulæ pueri Mart.
19 g Elifabeth Viduæ. Pontiani Pap. Martyris.
20 A Edmundi Regis M. Benigni Ep.
21 b Præfentatio B. V. MARIÆ, Gelafii Papæ.
22 c Cæciliæ V. *M.*
23 d Clementis Papæ M. Felicitatis & feptem Filiorum.
24 e Chryfogoni *M.* Firminæ V. *M.*
25 f *Catharinæ V. M.* Mercurii mil. *M.*
26 g Petri Ep. Alexandri *M.*
27 A Barlaam & Iofaphat Conf.
28 b Softhenis Difcipuli, S. Pauli. E. *M.*
29 c Vigilia. Saturnini Mart.
30 d *Andreæ Apoftoli.*

DE-

DECEMBER.

1 e Eligii Episc. Conf. Nataliæ Uxoris S. Adriani *Mart.*
2 f Bibianæ V. *M.* Petri Chrysologi Ep. *Mart.*
3 g Francisci Xaverii Indiar. Apost. S. J.
4 A Barbaræ V. *M.* Osmundi E. *M.*
5 b Sabæ Ab. Iulii Potamiæ &c. *MM.*
6 c *Nicolai Episcopi* C. Afellæ V.
7 d Ambrosii Ep. C. Pharæ V.
8 e *Conceptio B. V. MARIÆ*, Sophronii Episcopi Mart.
9 f Leocadiæ & Valeriæ. VV. MM.
10 g Melchiadis Papæ C.
11 A Damasi Pap. C. Danielis Stylitæ.
12 b Maxentii, Constantii, &c. MM.
13 c Luciæ V. M. Othiliæ V.
14 d Spiridionis Ep. C. Nicasii Eutropiæ V. Sororis MM. Ioannis à Cruce.
15 e Eusebii Ep. Mart. Faustini, Lucii &c. Martyrum.
16 f Trium puerorum Ananiæ, Azariæ, Misàélis.
17 g Lazari à Christo Dom. suscitati E. C. Expectatio partûs B. V.
18 A Ruffi & Zosimi MM.
19 b Nemesii M. Faustæ Matris S. Anastasii.
20 c Vigilia. Liberati, Bajuli *MM.*
21 d *Thomæ Apost.* Severini Ep. C.
22 e Triginta Martyrum.

23 f Victoriæ Virg. Mart.
24 g Vigilia. Tharfillæ Virg. Amitæ S. Gregorii Papæ.
25 A *Nativitas Domini Nostri JESU CHRI.* Anastasiæ V. *M.*
26 b *Stephani Proto, Mart.* Dyonisii P.
27 c *Joannis Apost. & Evang.*
28 d *Innocentium Martyrum.*
29 e Thomæ Ep. *M.* Calisti &c. *MM.*
30 f *Mansveti* Severî &c. *MM.*
31 g Silvestri Papæ. Conf.

Quilibet Annus constat mensibus 12. Hebdomadis 52. & die uno Diebus 365. & sex horis, ex quibus quarto cuivis anno accrescit unus dies, fitq; hic dierum 366. appelaturq; intercalaris bissextus, vel bissextilis.

PRECES
MATUTINÆ
dum ſurgis.

DEUS DEUS meus ad Te de luce vigilo, ſitivit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea.

ECce adſum, ecce venio, Domine quid me vis facere, ſive ire jubes ad lucem, ſive ad tenebras, ſive ad otium, aut ad labores, ſive ad ſolatia, aut ad acerbitates ſive per aquam, & ignem, ad perſecutiones, aut conſolationes, ad contemptum, ad honorem, ad vitam, aut mortem, DEUS meus volui, & legem tuam in medio cordis mei ità defixi, ut non niſi juxta eam omnia mea, quies & motus diſpenſentur,

Benedicta sit Sancta TRINITAS, atque indivisa unitas, cofitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam.

O JESU, & MARIA dono vobis cor meum, & animam, in Nomine PATRIS, & FILII, & SPIRITUS, Sancti.

ECce surgo Domine IESU ad amandum, &laudandum Te totis viribûs. Gloria PATRI, qui me conservat pêr suam potentiam, Gloria FILIO, qui me gubernat per suam sapientiam, Gloria SPIRITUI S. qui me Sanctificat per suum amorem.

AFFECTUS.

COr meum, animam meam, affectum, intellectum, memoriam, & voluntatem tibi mi DEUS offero

Quidquid cogitabo, loquar, agam, patiar, amabo te in omnibus.

Prævenerunt oculi mei ad Te diluculô.

Præveni in maturitate & clamavi ad Te.

Iam lucis orto sidere, Deum precemur supplices.

Ut in diurnis actibus, nos servet à nocentibus.

Linguam refrænans temperet, ne litis horror insonet.

Visum fovendo contegat, ne vanitates hauriat.

Sint pura cordis intima, absistat & vecordia,

Carnis terat superbiam, potus, cibique parcitas.

ORATIO.

DOmine DEUS qui nos ad principium hujus diei pervenire fecisti, tua nos hodie salva virtute, ut in hac die ad nullum declinemus peccatum, sed semper ad tuam justitiam faciendam, nostra procedant eloquia, dirigantur cogitationes; & opera per Christum Dominum nostrum, Amen.

DIrigere, Sanctificare, regere, & gubernare dignare Domine Deus, Rex Cæli, & terræ, hodie corda, & corpora nostra, sensus, sermones, & actus nostros in lege tua, & in omnibus operibus mandatorum tuorum, ut hic, & in æternum, te auxiliante, salvi, ac liberi esse mereamur salvator mundi, qui vivis, & regnas in sæcula sæculorum, Amen.

Oratio ad Beatam Virginem.

IN manus tuas Sanctissima Virgo MARIA, ego indignus peccator commendo animam, & corpus meum, omnes sensus meos, Parentes, Consanguineos, & Benefactores meos, vivos, & defunctos, & omnes mihi recommendatos, & quibus debitor sum. Miserere nostri Clementissima Virgo MARIA inclina nunc pias aures tuas ad preces meas, & libera me ab omni tribulatione, & angustia mea, & omnibus me affligentibus, ac calumniantibus. O pia DEI Genitrix MARIA, ne permittas me ampliùs tentari, quàm mea fragilitas sustinere potest. O Domina

Gloriosissima V. MARIA ne derelinquas me in tribulatione mea, ut non corruam in conspectu adversariorum meorum, ne de me gaudeant inimici, sed me confortet tua gratia ad voluntatem Filii tui faciendam. Ad te serenissima Virgo petitiones cordis mei ascendant, ne quæso revertatur vacua deprecatio mea, sed misericordia tua sequatur me usque in senium. O Virgo mitissima, Castissima, pulcherrima, misericordissima, ne derelinquas me hodie, & in hora mortis meæ, sed ab omni malo me eripias, & perducas animam meam in locum refrigerii, & quietis, ubi benedicat & laudet IESUM Christum, unà cum Patre, & almo Spiritu in sæcula sæculorum, Amen.

Ad S. Angelum custodem

ANgele DEI, qui Custos es mei, me tibi commissum pietate superna, hac die illumina, custodi, rege, & guberna, A.

Obsecro te Angelice Spiritus Custos, ac Tutor meus fidelis, ut in viam pacis, prosperitatis, & salutis te duce hodie dirigar, atquè ab omni spiritu malo gravique tentatione defendar. Te favente præsidium mihi dari peto, ut secundùm DEI voluntatem vitia fugiam, & virtutes Christianas exerceam, quoad nostro communi Domino, in cœlesti patria assistam, ac serviam, Amen.

Ad

Ad S. Patronum Menstruum.

DEUS tuorum gloria Sanctorum præsta quæso, ut intercessione Sancti tui NN. Patroni mei, liberer à cunctis malis, animæ & corporis, ac eodem duce, ac comite securior ad vitam perveniam sempiternam.

Benedictio

Dominus nos benedicat, & ab omni malo defendat, & ad vitam perducat æternam.

Et Fidelium animæ per misericodiam DEI requiescant in pace, Amen.

HEBDOMADA
MEDITANDÆ ÆTERNITATIS.

R. P. Joannis Nadasi Soc: JESU.

PRO DIE DOMINICO.

I.

QUò me vocas Æternitas, Statera veritatis?

Quid me doces Æternitas, Magistra sanctitatis?

2. Æternus est, æternus est Rex ille, qui minatur!

Infernus est, infernus est Res illa, quam minatur!

3. Æternitas, horrenda vox! Loquarne num tacebo.
Æternitas, heu longa nox quidquid vetas cavebo.
4. Quid desides in otiis Totos dies jocamur!
A blandulis ineptiis Ad Tartarum vocamur
5. Quid est, quid hæc Æternitas! Æterna pæna damni.
Quid est, quid hæc Æternitas? Æterna pæna sensûs.
6. Eheu! inexplicabilis Æterna pæna damni?
Nunquàmq; terminabilis Æterna pæna sensus.
7. Væ cordibus tepentibus, Gulæquæ delicatæ!
Effrænibusque mentibus, Carnique sordidatæ!
8. O ira, væ! Libido, væ! Impura lingua væ, væ!
Væ, væ, manus! Theatra, væ! Obscœna corda væ, væ!
9. Væ, væ, gulosa prandia, Cœnæq; delicatæ!
Tormenta vobis grandia, Pœnæq; sunt paratæ!
10. Væ sumptuosis ferculis, Fœdis jocis, libellis!
Parumque castis fabulis Væ turpibꝰ tabellis

11. Æternitas ô vox atrox! Quam mundus obſtupeſcit.
Æternitatis cæca nox, Somnum videre neſcit.
12. O aſtra pulchra patria Æternæ amænitatis!
O inferi, vos atria Heu triſtis orbitatis!
13. Quid es beata Æternitas! Æternitas beata?
Quid es tremenda Æternitas nunquam ſat explicata!
14. Caro, caro, quem decipis! Cave tuos amores!
In te perenni deſipis, Et ſeminas dolores.
15. Audi cor: heu quid ſtertimus? Ridemus ut fleamus;
Caduca ſunt quæ ſpernimus, Eamus hinc, eamus.
16. Quot dormientes devorat Æternitas ſiniſtra!
Eamꝯ ergo quo vocat Æternitas *Magiſtra*!
Quo me vocas &c: Æternus eſt &c: *ut ſupra.*

PROFERIA II.

17 HEu! naufragis ſolatiis *Mundus* ſuos ſaginat.
Lethalibus mendaciis Venena dum propinat!
18 Æternitas cœleſtium O ſancta norma morum!
Et mille mille triſtium Vorago ſæculorum!
19. Æternitatis theſſeram Heu quam diu revolvam?

Adhucne, adhucne differam Nunquàmnè me resolvam!

20 Nugacitatis fascino Torpemus illigati? Hac nocte fors, vel crastino Torquebimur citati.

21. Adhucne me determino; Quo *Mæsta* vota verto?

Infernus absque termino *Me* expectat ore aperto.

22. *Me* raptat astu libero Amicus ille secū: Heu quàm diu delibero; Et luctor ipse mecū;

23. Heu munde, tu me decipis, Blandum tuum clientem,

Æternitas quid præcipis? Habes obedientem

24. Sanctis amoris passibus, Quò me vocas, abibo,

Piis amoris artibus Instructus haud peribo:

25 O sulphurata flumina, O vortices profundi!

O ignium volumina, Stulti sepulchra mundi!

26. Hæc vestra sunt stipendia; caro, joci, lepores:

Æterna quos incendia; vobis dabunt dolores?

27. Horum memor fac omnium Ut sit cor absq; fine!

Amor piorum cordium Divine Seraphine,

28 Carbone vivo torridos Incende jam colores;

Ignesq; pinge turbidos. Et ignium dolores.

29. Pinge igneas sartagines Altissimos hiatus:

Et flammeas imagines, Et ditis ejulatus.

30. I, pinge ſerpentes hydras Sulphur picem vomentes:
Semper fluentes clepſidras Nunquam ſed effluentes.
31. Eheu dolorum civitas, Captivitas reorum!
Sitis, famos æternitas! Stipendium malorum.
32. Hic dives ardet: uritur Hic purpura atq; byſſus,
Hic eſt ſcopus quo curritur, Hæc eſt profunda abyſſus,
33. Credo tuas, Æternitas, Flammas, minasq; credo,
Cedo tuis, Æternitas, Flammis, minisq; cedo.
Quo me vocas &c. Æternus &c. *ut ſupra.*

PROFERIA III.

34 DAmnate, dic tu: Quam diu ardebis igne? Semper.
Dicipſe, dic tu; quam diu Cogere flere Semper.
35. Damnate dic; Vos quamdiu Torquebit ignis ille?
Torquebit, eheu! tam diu Dum vivet Unus ille.
36. Ibunt dies cum menſibus; Anniſquè ſæculisq;
Ardebimus nos menſibus Annisquè ſæculisque.
37. Ardebit ira Numinis, Per luſtra ſæculorum.

Nec ſpes erit levaminis, Nec terminus dolorum.
38. Nunquam Deum videbimus, Amabimusq; nunquam,
Ah ſemper hic ardebimus Amabimusq; nunquam.
39. Famemus? Ignis, cibus eſt Glutire quem jubemur.
Sitimus! Ignis potus eſt: Ut hôc inebrimur.
40. Videmur? ater ignis eſt Id omne quod videmus.
Iacemus? Ignis lectus eſt Quo perpetim jacemus.
41. Non ſunt polîs tot ſtellulæ Nec orbe tot arenæ,
Non ſunt maris tot guttullæ, Quot hoc in igne pœnæ.
42. Æternitas ſed maximus Eſt hic dolor dolorum.
Quod non ſit ullus terminus Tam grandium malorum.
43. Æternitas ô omnium mors magna reproborum,
Interminate triſtium, Acero ſæculorum!
44. Clamant in illo carcere: O ſi daretur hora!
Totus Deo renaſcere: Quantum potes labora!
45. Semper necabit Tartarus; Nunquam ſed enecabit,
Semper

Semper vorabit Tartarus Nunquamq; devorabit.

46. Semper trucidat Tartarus; Nunquamque conquiesce,

Heu semper ardet Tartarus; Nunquam focus tepescet,

47. Arsura semper fulmina Et sapienda nunquam!

Semper fluunt hæc flumina, Exhaurienda nunquam.

48. Nunquam quid es; vox horrida Altæ profunditatis?

Semperquè zona torrida Diræ perennitatis

49. Bilance justa pondera Hinc *semper*, indè *nunquam*:

Sint cordis ista pondera Sat ponderanda nunquam.

50. *Semper*, quid es? *Nunquam*, quid es? DEO carere semper.

Nunquam, quid es, *semper*, quid es? Uri moriquè semper!

51. Eheu! Duo vocabula Mensura Sanctitatis!

Nec est, nec est, hæc fabula, Sunt verba veritatis.

Quo me vocas &c. Æternus est, &c.

PROFERIA IV.

52 HEu! quid est, pulcherimum Deum videre nunquam?

Illum Deum dulcissimum Quid est amare nunquam!

33. Cum flammeis draconibus Vinctum jacere semper? [per?
Vivesquè sub carbonib9, Ardere, flere sem-
34. Quid es, quid es, damnatio? Deo placere nunquam,
Æterna desperatio: Pœnis carere nunquã!
55. Sub igneis rudentibus Vivum perire semper;
Sub tot draconum dentibus, Singultiendo semper.
56. Nil est nihil, candentium Fornax latereulorum.
Nihil, vitrum coquentium Ignis vitrariorum.
57. Ferrum liquatum quod fluit, Et bullit in caverna,
Nil est ad illa, quæ luit Peccator in gehenna.
58. Ostende nobis ô fides, Deum bonos amantem!
Dic ô fides, qualem vides Deum reos negantem!
59. Coronat illos lumine In monte præmiorum!
Involvit istos fulmine In valle perditorũ,
60. Quàm mira, multa, grandia, Scribuntur & leguntur,
Æternitatis gaudia, Quibus boni fruuntur.
61. Æternitatis gaudiîs, At omnibus carebunt.
Æterna pro solatiis Tormenta quos manebunt.

62, Valete, pulchra somnia, Vanæque vanitates.
Nihil, nihil sunt omnia, Aut sunt inanitates
63. Hic mundus est brevissimæ Sophisma veritatis:
Infernus est dirissimæ Fornax perennitatis
64. Adverte! Iudicaberis In Iudicis lucernis:
Si sis reus, torqueberis In Tartari cavernis:
65. Æternus est, æternus est, æterno ignis ille,
Infernus est, infernus est, Infernus ignis ille
66. Ah quam diu morabimur inter pericla mille? [ille.
Brevi brevi vocabimur: Præcessit hic, &
67. O æstuosa æternitas, Tu me tene cadentem!
Semperq; stans Æternitas Tu subleva jacentem.
68. Deo volo jam vivere In valle lachrymarum:
Volo moras abrumpere! Sat est, sat est morarum.
69. Si quispiam de carcere Illo, domum rediret:
Possetne carni parcere? Heu quanta non subiret?
70. Quales preces tunc funderet Quas lacrymas rigaret;
Illisque flagra jungeret, Corpusq; perdomaret.
71. Ab inferis si surgerem, A morte si redirem;

Quid dicerem? quì viverem? Ne denuò perirem.

Quo me, &c. æternus &c. *supra.*

PRO FERIA V.

72. O Quanto amore amplecterer Te Christe liberator!

Quod ampliùs non plecterer Per te Deus creator.

73. Ah! plus amoris debeo Perire non sinenti!

Quid langueo quid hæreo? Nec reddo cor petenti?

74. Amore flagrantissimo Volo sequi vocantem!

Et corde quàm tenerrimo Amare sic amantem.

75. Quis fecit ut nè sim reus, Vivamq; corde mundo?

Quis fecit ut si sim reus, Ne mergar in profundo?

76. Quis fecit, ut nè sterterem In criminum veterno?

Mihiq; lectum sternerem In igne sempiterno?

77. Ardent in antro flammeo Heu mille! mille! mille! (ille!

Cur sic ego non ardeo, Ut ardet hic, &

78. Quis fecit ut nè traderer Ergastulo reorum?

Quis fecit, ut nè truderer In clibanum dolorum?

79. Hoc fecit admirabilis Monarcha sæculorum,
Et millies amabilis Rex cordium bonorum.
80. Amor Deus, dignatus es Amare non amantem,
Fac, ut velim (nam dignus es!) Amare sic amantem.
81. Fac ista sic intelligam, Ut plùs amare discam:
Fac mi Deus! te diligam: Tempore ne fatiscam.
82. Tu, mi Deus, me maximo Amore sic amasti,
Et Tartari dirissimo Ab igne liberasti.
83. Amare jam nè desinas Amare te volentēm:
Et impetrare me sinas Amare te petentem.
84. Amoris igniarium In corde sit perenne
Crescatque seminarium Incendio gehennæ.
85. Inferne quantîs ignibûs Alis tuos dolores;
Inferne tantis ignibûs Alas meos amores.
86. Amoris iste sic reos Extinguet ignis, ignes,
Æternus ille, sic meos Accendat ignis ignes.
87. Timendus est, amandus est, Qui nos ad hoc creavit,
Amandus est, timendus est, Qui tot modîs amavit,

88. Quousq; non amabimus, Nugas amando fessi!
Quousq; somniabimo, Surdo sopore pressi?
89. Quid non timenda somnia Vano metu timemus?
Heu! vana sunt hæc omnia! Amemus hunc, amemus.
90. Ecquid viis tam deviis? Cor istud impedimus?
Nugamur in tam seriis: Et seriò perimus.
Quo me vocas, &c. *supra.*

PROFERIA VI.

91. HÆc tanta dum considero, Deus volo Te amare;
Nec ampliùs desidero Quàm cor tibi immolare.
92. Tu, qui dedisti nè fleam In igne devorante:
Fac, ut beatus gaudeam In igne cor liquante.
93. Hoc igne crescens Charitas Amare me docebit;
Et tristis illa æternitas Nihil mihi nocebit.
94. Vellem focis majoribus Ardere corde toto,
Quàm mundus ignes ignibus Imflammet orbe toto.
95. Infernus Ignis æstuat In se furore quanto,
Infernus ignis ardeat, In me calore tanto.
96. Utrumquè utrinquè incendium mundiquè Tartarique, Si-

Si constet in compendium *Mundusquè* Tartarusquè;

97. Adhuc tamen non sufficis Hæc flamma; sed nec illa,
Infernus ipse deficit; Et est velut favilla.

98. *Majore* amare debeo Te corde toto amare;
Majore ab igne debeo Amando te flagrare.

99 Deus volo flammescere prunis tui caloris;
Et sic amando crescere Incendiis amoris.

100 Felix Dei dilectio Tu cor mihi movebis,
O pulchra cordis lectio, Tu me fugam docebis.

101. Tu tolle quidquid impedit Hancnè fugam capessam;
Largire quicquid expedit Ut hanc fugam capessam.

102. Infernus est ardentium Dolore, non amore,
Cœlum locus flagrantium Amore, non dolore.

Quo me vocas &c. *ut supra.*

PRO DIE SABBATHI.

103. Mirabiles, amabiles, Dei mei favores
O vos inexplicabiles, O nobiles amores!

104. Vos cor meum perfundite, Vos pectus occupate;
Quæ non placent, evellite; Deoquè me dicate

105. Quod ignis ultor ureret Vos illud expiate;
Quod ignis ille plecteret, Hoc vos priùs cremate.

106. Amor Dei, tu diſpice Numquid mali ſit in me,
Amor Dei, tu perfice, Si quid boni ſit in me.

107 Quicquid mali ſit, corrige, Amore corrigamur,
Si quid boni ſit, dirige: Amore dirigamur.

108. Æternus eſt æternus eſt, Quem nolo, mortis ignis:
Æternus eſt, æternus eſt, Quem quæro, cordis ignis.

109. Amare Te peto Deus! Audi, Deus petentem:
Ignis meus, Deus meus, Accende me tepentem!

110. Deus manum tu porrige Amare Te petenti;
Mentē benigno erige, Amare non potenti.

111. Volo, volo, jam ſurgere Fac me magis volentem,
Ut plùs amem, cor ſuggere; Iuva parùm valentem.

112. Amabo Te quàm maximis Poſſum modis amabo!
Ut plus amem, tenerrimis Te vocibus rogabo.

113. Rogabo Te lectiſſimis Suſpiriis; rogabo;

Quan

Quantiſque poſſum lachrymis Inſtanter obſecrabo,

114 Modiſque flagrantiſſimis Clamans id impetrabo.

Sic artibus te maximîs, Et optimîs amabo.

115. Venite, cuncti cœlites, In cor meum, venite,

Tam pauperes, tam divites Venite, ſubvenite.

116. In pectus hoc deſcendite, Ut ardeam juvate,

Cor frigidum ſuccendite; Et iſtud innovate

117. O corda pulchrè ardentia Vos cor meum fovete!

O corda, corda amantia, Amare me docete.

118. Si Sancti amoris guttulam A ſingulis habebo;

Ab omnibus non guttulam Sed flumen obtinebo.

119. MARIA tu ſis optimi, Ignis mihi miniſtra,

Quæ cordibus pulcherrimi Amoris es magiſtra.

120. Iam ſum tuus, nolo DEUS In hoc luto jacere,

Totus volo, Deus meus Volo tibi placere.

121. Accende verbis flammeis Linguam tibi loquentem;

Et igneis ſuſpiriis Inccende me tacentem,

122. Tu verba, tu ſilentium Meum doce benignè,

Sic

Sic lingua sic silentium, Ignescat hoc ab igne.

123. Fac, mi Deus, me crescere Æstu tui caloris;
Novasque semper discere Industrias amoris.

124. In me Deus, fac ardeat Æternitas amoris;
Nec me perennis torqueat æternitas doloris.

OFFICIUM SANCTISSIMÆ TRINITATIS

AD MATUTINUM

BEnedicta sit Sancta, & individua TRINITAS, nunc & semper & per infinita sæcula sæculorum, Amen.

Domine labia mea aperies.
Et os meum annunciabit laudem tuam.
Deus in adjutorium meum intende,
Domine ad adjuvandum me festina,
Gloria Patri, & Filio, & Spititui S.
Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

Hymnus.

QUicunque vult animam propriã servare,
Tres Personas credere, ipsas honorare.

Tenetur

Tenetur, & precibus jugiter orare,
Unum Deum dicere, solum adorare.

Antiphona.

Te jure laudant, te glorificant omnes creaturæ tuæ, ô Beata Trinitas.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, te suppliciter deprecamur; ut Sanctam Trinitatem in hoc mundo ità nos facias firmiter fideliterquè credere, veraciter, & simpliciter confiteri, ut in alio sæculo possimus eam veraciter agnoscere, & lætanter facie ad faciem intueri Qui in eadem Trinitae perfectè vivis, & regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Domine exaudi orationem meam,
Et clamor meus ad te veniat.
Benedicamus Domino, Deo gratias,
Animæ omnium fidelium defunctorum, per misericordiam Dei, requiescant in pace, Amen.

Benedictum sit dulce nomen Domini nostri Iesu Christi, & dulcissimæ Virginis MARIÆ, Matris ejus, & tota cælestis curia sit benedicta, nunc & in æternum, & ultra,

Pater noster, & Ave Maria.

AD PRIMAM

Benedicta sit Sancta, & individua Trinitas, nunc, & semper, & per infinita sæcula sæculorum, Amen.

Deus

Deus in adjutorium meum intende;
Domine ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri, & Filio, &c.

Hymnus.

TRinitatem credimus, summum Genitorem,
Sanctum ejus Filium, nostrum Redemptorem.
Sanctumquè Paraclitum, gratiæ Datorem,
Unum tamen dicimus DEUM Creatorem.

Antiphona.

Te jure laudant, te glorificant omnes creaturæ tuæ, ô Beata Trinitas.

Oratio, & versus Pater & Ave ut supra.

AD TERTIAM.

BEnedicta sit Sancta, & individua Trinitas, nunc, & semper, & per infinita sæcula sæculorum, Amen.
Deus in adjutorium meum intende,
Domine ad adjuvandum me festina,
Gloria Patri, & Filio, &c.

Hymnus.

DEUM Patrem credimus, qui progeneravit,
Filium de lumine lumen exultavit,
Procedentem Spiritum uterque spiravit,
Neuter horum genuit ipsum, vel creavit.

Antiphona.

Te jure laudant, te glorificant omnes creaturæ tuæ, ô Beata Trinitas.

Oratio & versus Pater & Ave ut supra.

AD SEXTAM

BEnedicta ſit Sancta, & individua Trinitas, nunc, & ſemper, & per infinita ſæcula ſæculorum, Amen.

Deus in adjutorium meum intende,
Domine ad adjuvandum me feſtina,
Gloria Patri, & Filio, &c.

Hymnus.

AD Patrem vox pertinet ſuper baptizatum,
Quæ ſonat ad Filium dilectum vocatum,
Viſum ſupra Filium Columbœ volatum,
Credimus Spiritui Paracleto datum,

Antiphona.

Te jure laudant, te glorificant omnes creaturæ tuæ, ô Beata Trinitas.

Oratio & verſus Pater & Ave ut ſupra.

AD NONAM

BEnedicta ſit Sancta, & individuà Trinitas, nunc & ſemper, & per infinita ſæcula ſæculorum, Amen.

Deus in adjutorium meum intende,
Domine ad adjuvandum me feſtina,
Gloria Patri, & Filio, &c.

Hymnus.

IN Patre Potentia cuncta denotatur,
In Nato ſcientia perfecta laudatur,
Bonitas Paracleto Vniverſa datur,
Qui cum Patre, Natoquè conglorificatur.

Antiphona.

Te jure laudant, te glorificant omnes creaturæ tuæ ô Beata Trinitas.

Oratio & versus Pater & Ave ut supra.

AD VESPERAS.

BEnedicta sit Sancta, & individua Trinitas, nunc & semper, & per infinita sæcula sæculorum, Amen.

Deus in adjutorium meum intende,
Domine ad adjuvandum me festina,
Gloria Patri, & Filio &c.

Hymnus.

VOluntate Filius Patris incarnatus,
De S. Paraclito ex Virgine natus.
Crucifixus, mortuus, atq; tumulatus.
Resurgens à mortuis Cœlo sublimatus.

Antiphona.

Te jure laudant, te glorificant omnes creaturæ tuæ, ô Beata Trinitas.

Oratio & versus Pater & Ave ut supra.

AD COMPLETORIUM.

BEnedicta sit Sancta & individua Trinitas, nunc & semper, & per infinita sæcula sæculorum, Amen.

Converte nos Deus salutaris noster,
Et averte iram tuam à nobis.
Deus in adjutorium meum intende,
Domine ad adjuvandum me festina,
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui S.

Sicut erat in principio, & nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen.

Hymnus.

ORe ipſius omnes ſtabunt judicati,
Beati ad gloriam æternam vocati,
Ad pœnas perpetuas malè condemnati,
Hoc judicium Pater dedit Veritati,

Antiphona.

Te jure laudant, te glorificant omnes creaturæ tuæ, o Beata Trinitas.

Oratio.

OMnipotens ſempiterne Deus, te ſuppliciter deprecamur, ut Sanctam Trinitatem in hoc mundo ita nos facias firmiter fideliterquè credere, veraciter & ſimpliciter confiteri, ut in alio ſæculo, poſſimus eam veraciter agnoſcere, & lætanter facie ad faciem intueri. Qui in eadem Trinitate perfecta vivis, & regnas Deus, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Domine exaudi orationem meam,
Et clamor meus ad te veniat.
Benedicamus Domino. Deo gratias.

Animæ omnium fidelium defunctorum per miſericordiam Dei requieſcant in pace, Amen.

Benedictum ſit dulce nomen Domini noſtri JESU Chriſti, & dulciſſimæ Viginis Mariæ, Matris ejus, & tota cœleſtis curia ſit Benedicta, nunc & in æternum, & ultra, A.

Oratio.

Omnipotens ſempiterne DEUS, qui dediſti famulis tuis in confeſſione veræ fidei, æternæ Trinitatis gloriam agnoſcere, & in potentia Majeſtatis adorare unitatem: quæſumus, ut ejuſdem fidei firmitate, ab omnibus ſemper muniamur adverſis. Per Dominum noſtrum Iesum Chriſtum &c.

LITANIÆ
Ad SANCTISSIMAM
TRINITATEM

Antiphona.

Gratias tibi DEUS, gratias tibi vera & una Trinitas, una & ſumma Deitas, ſancta & una Unitas: Benedicta ſit Sancta Creatrix, & Gubernatrix omnium, SS. & individua Trinitas, nunc & ſemper, & per infinita ſæcula, Amen.

Kyrie eleyſon, Chriſte eleyſon.
Kyrie eleyſon, Chriſte audi nos,
Chriſte exaudi nos.

Pater de Cœlis DEUS, Miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi DEUS,
Spiritus Sancte DEUS,
Sancta Trinitas, unus DEUS,
DEUS Pater Domini noſtri JESU Chriſti,
Pater miſericordiarum,

Miſerere nobis.

Pater

Pater increate, immense, & æterne,
Pater qui à nullo es factus, nec creatus, nec genitus,
Pater ex quo omnis paternitas in Cœlis, & terra nominatur,
Pater qui quæris in Spiritu te adorantes,
Pater cui omnia sunt possibilia,
Pater qui es, & manes in Filio,
Pater juste, & Sancte,
Pater gloriæ,
Pater Spirituum,
Pater totius consolationis; } Miserere nobis.
Fili ante Luciferum genite,
Fili amator humanæ salutis,
Fili cui data est omnis potestas in terra, & in cœlo,
Fili candor lucis æternæ,
Fili figura substantiæ Patris,
Fili Rex Regnum, & Domine dominantium, } Miserere nobis.
Fili expectatio Israël & gentium,
Fili Princeps pacis,
Fili sapientia Patris,
Fili speciose formâ præ filiis hominum,
Fili Sol oriens ex alto,
Fili via, veritas, & vita,
Fili Altissimi, & MARIæ Virginis,
Fili delectatio mentium,
Fili Doctor justitiæ, } Miserere nobis.
Fili limpiditas omnium Angelorum,
Fili contemplatio Patriarcharum,

Fili illuminatio Prophetarum,
Fili norma Apoſtolorum,
Fili victoria Martyrum,
Fili confortatio Confeſſorum,
Fili Paſtor bone omnium Paſtorum,
Fili Domine & Magiſter Doctorum,
Fili corona Virginum,
Fili caput juſtorum,
Fili mediator DEI & hominum,
Fili merces Sanctorum omnium,
Spiritus Sancte à Patre, Filioque procedens,

Miſerere nobis.

Spiritus Domini qui ferebaris ſuper aquas,
Spiritus replens orbem terrarum,
Spiritus habens omnem virtutem,
Spiritus puritatis, omnia ſuggerens,
Spiritus ſapientiæ, intellectûs,
Spiritus conſilii, fortitudinis, ſcientiæ, pietatis.
Spiritus timoris Domini,

Miſerere nobis.

Spiritus quo inſpirante locuti ſunt Sancti DEI homines,
Spiritus Domini, & promiſſio Patris,
Spiritus ex quo renaſcimur,
Spiritus in quo dæmonia ejiciuntur,
Spiritus adoptionis filiorum DEI,
Spiritus adjuvans infirmitatem noſtram,
Spiritus pignus hæreditatis noſtræ,
Spiritus reddens teſtimonium Spiritui noſtro, quòd ſimus filii DEI,
Spiritus principalis, vivificans & confortans,

Miſerere nobis.

Spiritus

Spiritus fidei, pacis & ardoris,
Spiritus gratiæ, & misericordiæ,
Spiritus Lenitatis, & Veritatis,
Spiritus renovationis, ac Sanctificationis,
Spiritus vitæ, & patientiæ,
Spiritus continentiæ ac modestiæ,
Spiritus svavis, & super mel dulcis,
Spiritus omnium gratiarum,

Miserere nobis.

Deus qui unus es in substantia, trinus in Personis,
Sancte Deus, Sancte Fortis, &c.
Kyrie eleyson, Christe eleyson,
Kyrie eleyson, *Pater noster, &c.*
Et ne nos inducas. &c. Sed libera nos &c.
Benedicamus Patrem & Filium, &c.
Laudemus & superexaltemus, &c.
Benedicat nos Deus, Deus noster, Benedicat nos Deus.
Et metuant eum omnes fines terræ.

LITANIÆ
DE SANCTISSIMA
DEI PROVIDENTIA

Ex Locis Sacræ Scripturæ excerptæ.

Kyrie eleyson, Christe eleyson.
Kyrie eleyson Christe audi nos,
Christe exaudi nos.
Pater qui omnibus providisti in Creatione, Miserere nobis.

Fili qui omnibus providisti in Redemptione, Miserere nobis.

Spiritus Sancte; qui omnibus providisti in tui Missione,

Sancta Trinitas à quá, per quam & in qua sunt omnia,

DEUS qui tuâ Providentiâ quinque millia Virorum, quinque panibus, & duobûs piscibûs satiasti, *Ioan.* 6.

DEUS qui tuâ Providentiâ quatuor millia septem panibûs & paucis pisciculîs replevisti, *Mar.* 8.

Miserere nobis

Qui in Cana Galilææ, tuâ Providentiâ aquam in vinum mutasti,

Qui Petrum carceri inclusum Tuâ providentiâ manibus Herodis per Angelum eripuisti, *Actor.* 11

Qui Nòé tuâ povidentiâ à communi diluvio præservasti,

Qui Loth tuâ providentiâ de Gomorrhæo, & Sodomitico igne eduxisti. *Genes.* 9.

Miserere nobis

Qui ad vocem Ismàélis sitientis oculos Agar aperuisti, & tuâ providentiâ per Angelum ei aquam indigitasti *Gen.* 12.

Qui Ioseph à Fratribus venditum tuâ providentiâ in Ægypto exaltasti, & per illum toti Ægypto panem providisti, *Gen.* 45.

Miserere nobis

Qui Moysen in fiscella scirpea occlusum, & aquîs impositum tuâ providentiâ conservasti, *Exod.* 2

Qui

Qui Isràéli à Pharaone fugienti aquas maris tuâ providentiâ exsiccasti, & Equitatum ejus cum curribus submersisti, *Exod.* 14.

Qui Isràélitis in Marath amaritudinem aquarum tuâ providentiâ in dulcorem vertisti, *Exod.* 15.

Miserere nobis.

Qui Isràélitis tuâ providentiâ coturnices pluisti, *ibid,* 16

Qui Isràélitis in Raphidim tuâ providentiâ aquas de petra eduxisti, *Exod.* 17.

Qui Samsoni siti enecto è dente molari in maxilla asini aquas tuâ providentiâ prosilire fecisti, *Iud.* 5.

Miserere nobis.

Qui Saul, patris asinas quærentem tuâ providentiâ ad Samuelem perduxisti, & in Regem ab eo ungi voluisti, 1. *Geg.* 9.

Qui per inermem David tuâ providentiâ de grandi Goliath triumphantem, opprobrium ex Isràél abstulisti, *Ibid.*

Miserere nobis.

Qui Eliam in torrente Carith tuâ providentiâ per corvos pavisti, 3. *Reg.* 17.

Qui per mulierem Sarephtanam; Eliam tuâ providentiâ sinè diminutione farinæ & olei satiasti, *Ibid. Exod.*

Qui Elisæ per Angelum tuâ providentiâ panem subcinericium misisti, *Ibid.* 19.

Qui per Eliseum viginti panibûs centum viros, ita ut adhuc panis superfuerit tuâ providentiâ satiasti, *Ibid.* 4.

Qui per Raphàélem juniori Tobiæ tuâ providentiâ comitatum dedisti, & patri ejus exenterati piscis felle visum restituisti, *Iob.* 5.

Qui Ananiam, Misàélem, & Azariam, in medio ignis illæsos tuâ providentiâ conservasti, *Dan.* 3.

Qui Danielem in lacu leonum per Abacuc, tuâ Providentiâ ab Angelo eò apportatum pavisti, *Ibid.* 24

Qui Danielem in lacu leonum à morsibûs tuâ Providentiâ intactum præservasti, *Dan.* 6.

Qui, innocentiam Susannæ per Danielem tuâ providentiâ detexisti, *Dan.* 13

Qui Ionam de ventre ceti post triduum tuâ providentiâ eduxisti, *Jonæ.* 2.

DEUS à cujus Providentia omnia expectant, ut des illis escam in tempore, *Psalm.* 103.

DEUS in cujus Providentia est bonum confidere, quàm confidere in homine, *Psalm.* 117.

DEUS in cujus Providentia est bonum sperare quam sperare in Principibus *Ibidem.*

DEUS cujus Providentia dat escam omni carni, *Psalm.* 155.

DEUS in cujus Providentia oculi omnium sperant, & das escam illorum in tempore opportuno, *Psalm.* 144.

Miserere nobis

Miserere nobis

Miserere nobis

DEUS

DEus qui tuæ Providentiæ manum aperis & imples omne animal benedictione, *Ibid. Exod.*

DEUS qui tuâ Providentiâ advenam, pupillum, & viduam ſuſcipis, *Pſal.* 145

DEUS cujus Providentia dat jumentis eſcam ipſorum & pullis corvorum invocantibus eam, *Pſalm.* 146.

DEUS apud cujus Providentiam nec unius paſſeris eſt oblivio, *Luc.* 12.

DEUS cujus Providentia omnes capitis noſtri capillos numeravit. *Ibid.*

DEUS qui Tuâ Providentiâ paſcis volatilia cœli, *Matth.*

DEUS cujus Providentia veſtit lilia agri,

Miſerere nobis Miſerere nobis

Providus nobis eſto, Parce nobis Domine.

Providus nobis eſto, Exaudi nos Domine.

Ab oblivione beneficiorum tuorum, Libe.

A nimia cura & ſollicitudine, Libera nos.

A propria noſtra voluntate, Libera nos.

Ab inordinata in adverſis triſtitia, Libera.

Per admirabilem Incarnatô Tuô Filiô, factam mundo Providentiam, &c.

Per providentiſſimam panis Euchariſtici in univerſo orbe multiplicationem, &c.

Peccatores, Te rogamus audi nos.

Nè peccare faciamus os noſtrum neque unquam opere dicamus coram Angelo: non eſt Providentia, *Eccl.*

Ut nos in Te curam noſtram jactare concedas, & ipſe nos enutrias, *Pſalm.* 54

Ut nos primum quærere Regnum tuum & justitiam concedas, & cætera ex Tua Providentia nobis adijcias; *Math. 6.*

Ut Pontificem nostrum N. Antistitem N. & Imperatorem N. Tuâ Providentiâ regere & conservare digneris. Te rogamus

Ut Cultores, Tuæ Providentiæ multiplicare digneris, Te rogamus audi nos.

Ut nos omnes sub tuam Sanctam & specialem providentiam suscipere digneris,

Pater cujus Providentia omnia gubernat, Te rogamus audi nos.

Agnus DEI qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine,

Agnus DEI qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine,

Agnus DEI qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.

Christe audi nos, Christe exaudi nos. &c.

Custodi nos Domine ut pupillam oculi.

Sub umbra alarum tuarum protege nos,

DEUS cujus Providentia in sui dispositione non fallitur, Te supplices exoramus ut noxia cuncta submoveas & omnia nobis profutura concedas, Per Dominum nostrum, Amen.

ORATIO

Pro impetranda nostræ voluntatis cum Divina Providentia in omnibus conformitate.

DEUS qui ad manifestandam Tuæ Providentiæ gloriam, famenti populo Israëliti-

elitico in Paſtorem, Danieli in Defenſorē, Suſannæ in Advocatum, Tobiæ in Ducem, vendito Joſeph in Redemptorem, tribus Pueris in Conſervatorem, Pupillis, Advenis & viduis in Patrem dediſti, & omnia omnibꝰ fieri voluiſti. Te humillimè deprecamur, ut ſicut de Tua Providentia lætamur in proſperis, ita exultemus in adverſis, & quâ ſpe à Tua Providentia exſpectamus deſiderata, eâ tolerantiâ perferamus, omnia tibi placita: non extollamur in proſperis, non dejiciamur in adverſis. Da nobis Domine animum invictum, cor immobile, voluntatem in omnibus Tuæ Providentiæ conformem, in Te quieſcat, & moveatur cor noſtrum, nihil nos turbet quod eſt à Te, ſed omnia ſint nobis chara propter Te, nihil adverſum nos moveat, quia affligit, ſed placidet cor noſtrum quia à Te procedit. Agnoſcamus hanc veritatem; quod nihil ſit parvum quod à ſummo DEO datur, nihil nocivum, quod ab amantiſſimo Patre, aut injuſtum quod ab æquiſſimo Judice provenit. Tua enim ſola Domine Providentia attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter, & quæcunque nobis immittis, licet nobis quandoque videantur contraria, ſunt tamen in bonum finem ordinata. Quidquid igitur nobis immittis, da Domine, ut hoc gratè excipiamus, lætè teneamus, patienter conſervemus. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

ORATIO.

Ab ægroto dicenda.

SUpreme animarum corporumq, Medice inexhauribilis fons vitæ & luminis, Tu qui unô etiam verbô mortuos resuscitare potes, Magne Deus, in cujus manu sunt hominum sortes, ac Providentia omnia gubernat & absque cujus permissione nihil creaturis Tuis evenire potest: Ad Te duplici morbo: animæ, corporisque languidus exclamo, redde mihi sanitatem & tuam peccatis meis amissam gratiam, ignosce Domine, quod qui hactenus creaturis, plus quàm Tibi Creatori meo inservivi, tuam tremendam implorare audeam Majestatem; scio quidem quod non sim dignus aspicere cœlum qui hucusque tantùm terram intuitus fui; at non me latet, quod etiamsi mirabilis sis in operibus tuis, mirabilior tamen crederis in operibus pietatis: dixisti enim per Prophetam, *Miserationes tuas* (a, *super omnia opera tua esse*: Miserere igitur mei secùndum magnam misericordiam tuam & redde mihi tam animæ, quàm Corporis sanitatem. Quodsi DEUS mi! hæc petitio mea nimia tibi videatur. Pro tua gloria, meaque salute hoc corpus meum, inutile terræ pondus ulteriùs pati expediat; sana saltem animam meam & da mihi virtutem sufferendi, quidquid Tuæ Providentiæ placuerit mihi evenire. Per Dominum nostrum JESUM Christum, Amen. (a) *Psal*, 144. v. 9.

OFFICIUM
SANCTI
SPIRITUS
AD MATUTINUM

SPiritûs S. gratia illuminet ſenſus, & corda noſtra, Amen.

Domine labia mea aperies,
Et os meum annunciabit laudem tuam.
Deus in adjutórium meum intende,
Domine ad adjuvandum me feſtina,
Gloria Patri, &c. Sicut erat, &c.

Hymnus.

NObis Sancti Spiritûs gratia ſit data;
De qua Virgo Virginum fuit obumbrata
Cùm per Sanctum Angelum fuit ſalutata,
Verbum Caro factum eſt, Virgo fæcundata.

Antyphona.

Veni Sancte Spiritus reple tuorum corda Fidelium, & tui amoris in eis ignem accende,
Emitte Spiritum tuum & creabuntur,
Et renovabis faciem terræ.

ORATIO

ADſit nobis quæſumus Domine virtus Spiritûs S. quæ & corda noſtra clementer expurget, & ab omnibus tueatur adverſis. Per Dominum noſtrum &c.

Et hæc dicuntur poſt ſingulos Hymnos. AD

Spiritûs S. gratia illuminet ſenſus, &c.
Deus in adjutorium &c. Gloria Patri, &c.
Hymnus.
DE Virgine MARIA Chriſtus fuit natus,
Crucifixus, mortuus, atque tumulatus,
Reſurgens, Diſcipulis fuit demonſtratus.
Et ipſis cernentibûs in cœlos eſt elevatus
Antiph. Verſus, & Oratio ut ſupra.

AD TERTIAM

Spiritûs S. gratia illuminet ſenſus, &c.
Deus in adjutorium &c. Gloria Patri, &c.
Hymnus.
SUum S. Spiritum Deus delegavit,
In die Pentecoſtes Apoſtolos confortavit
Et de linguis igneis eos inflammavit,
Relinquere orphanos eos denegavit.
Antiph. Verſus & Oratio ut ſupra.

AD SEXTAM

Spiritûs S. gratia illuminet ſenſus, &c.
Deus in adjutorium &c. Gloria Patri, &c.
Hymnus.
SEptiformem gratiam tunc acceptaverunt,
Quare idiomata cuncta cognoverunt,
Ad diverſa climata mundi receſſerunt.
Et fidem Catholicam tunc prædicaverunt.
Antiph. Verſus & Oratio ut ſupra.

AD NONAM

Spiritûs S. gratia illuminet ſenſus, &c.
Deus in adjutorium, &c. Gloria Patri. &c.
Hymnus.
SPiritus Paraclitus fuit appellatus,
Donum DEI charitas, fons vivificatus.

Spiritualis unctio, ignis inflammatus,
Septiformis gratia, charisma vocatus.
Antiph. &c. ut supra.
AD VESPERAS.
Spiritûs S. gratia illuminet sensus, &c.
Deus in adjutorium, &c. Gloria Patri. &c.
Hymnus.

DExteræ Dei digitus, virtus Spiritualis,
Nos defendat, eruat, ab omnibus malis.
Ut nobis non noceat dæmon infernalis
Protegat, & nutriat, foveat sub alis.
Antiph. Versus & Oratio ut supra.
AD COMPLETORIUM.
Spiritûs S. gratia illuminet, &c.
Converte nos DEUS salutaris noster,
Et averte iram tuam à nobis.
Deus in adjutorium &c. Gloria Patri. &c.
Hymnus.

SPiritus Paraclitus nos velit juvare,
Gressus nostros regere & illuminare,
Ut cùm Deus venerit omnes judicare,
Nos velit ad dexteram suam collocare,
Antiph. Versus & Oratio ut supra.
COMMENDATIO.
HAs Horas canonicas, cum devotione,
Tibi Sancte Spiritus pia ratione,
Dixi, ut nos visites inspiratione,
Et vivamus jugiter in cœli regione, Amen.
Pro invocatione Spiritûs Sancti
VEni S. Spiritus, & emitte cœlitùs, lucis tuæ radium,

Veni Pater pauperum, veni dator munerum, veni lumen cordium.

Consolator optime, dulcis hospes animæ; dulce refrigerium.

In labore requies, in æstu temperies, in fletu solatium.

O Lux Beatissima, reple cordis intima, tuorum fidelium.

Sinē tuo Numine, nihil est in homine, nihil est innoxium.

Lava quod est sordidum, riga quod est aridum, sana quod est saucium.

Flecte quod est rigidum, fove quod est frigidum, rege quod est devium.

Da tuis fidelibus, in te confidentibus, sacrum Septenarium,

Da virtutis meritum, da salutis exitum, da perenne gaudium, Amen.

Emitte Spiritum tuum & creabuntur,
Et renovabis faciem terræ.
Domine exaudi orationem meam,
Et clamor meus ad te veniat.

DEUS qui corda fidelium Sancti Spiritûs illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere, & de ejus semper pia consolatione gaudere. Per Dominum nostrum JESUM Christum Filium Tuum qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs S. DEUS, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Preces

Preces initiò Congregationis.

VEni Sancte Spiritus reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende qui per diversitatem lingvarum cunctarum, gentes, in unitate fidei congregasti,

Kyrie eleyson, Christe eleyson, Kyrie eleyson. *Pater noster.*, *&c.*

Et ne nos inducas in tentationem,
Sed libera nos à malo.
Memento congregationis tuæ,
Quam possedisti ab initio.
Domine exaudi orationem meam;
Et clamor meus ad te veniat.

ORATIO

MEntes nostras quæsumus Domine lumine tuæ claritatis illustra, ut videre possimus, quæ agenda sunt, & quæ recta sunt, agere valeamus. Per Christum Dominum nostrum, Amen

In fine Congregationis.

Kyrie eleyson, Christe eleyson, Kyrie eleyson. *Pater noster &c.*

Et ne nos inducas, &c. Sed libera, &c.
Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis,
A templo Sancto tuo quod est in Ierusalem.
Domine exaudi orationem meam,
Et clamor meus ad te veniat,

ORATIO

PRæsta quæsumus Domine auxilium gratiæ

tiæ tuæ, ut quæ te auctore facienda cognovimus, te operante impleamus. Per Christum Dominum nostrum.

Retribuere dignare, Domine, benefactoribus nostris, vivis, atque defunctis vitam æternam, Amen.

Sequens Hymnus dicitur ante electiones, & ante admissiones ad Sodalitatem.

VEni Creator Spiritus,
Mentes tuorum visita,
Imple supernâ gratiâ,
Quæ tu creasti pectora.
Qui diceris Paracletus,
Altissimi donum DEI,
Fons vivus, ignis charitas,
Et spiritualis unctio.
Tu septiformis munere,
Digitus Paternæ dexteræ,
Tu ritè promissum Patris,
Sermone ditans guttura.
Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus,
Infirma nostri corporis,
Virtute firmans perpeti.
Hostem repellas longiùs,
Pacemque donens protinus,
Ductore sic te prævio,
Vitemus omne noxium.
Per te sciamus da Patrem,
Noscamus atque Filium,
Te utriusque Spiritum,
Credamus omni tempore.

DEO Patri ſit gloria,
Et Filio qui à mortuis,
Surexit, ac Paraclito,
In ſæculorum ſæcula, Amen.

Vers. Emitte Spiritum tuum, &c.
Reſp. Et renovabis faciem terræ.

ORATIO

ACtiones noſtras quæſumus, Domine aſpirando præveni, & adjuvando proſequere, ut cuncta noſtra oratio & operatio à te ſemper incipiat, & per te cæpta finiatur. Per Dominum noſtrum, Amen.

LITANIÆ
De Sancto.
SPIRITU.

KYrie eleyſon, Chriſte eleyſon,
Kyrie eleyſon.

Spiritus Sancte à Patre Filioq; procedens, Miſerere nobis.

Spiritus Domini DEUS Iſràél,
Dominator hominum,
Replens orbem terrarum,
Habens omnem virtutem,
Omnia bona operans & omnia proſpiciens
Ornans cœlos ſtabilis & ſecurus,
Spiritus veritatis, omnia ſuggerens & diſtribuens,
Spiritus ſapientiæ & intellectûs,
Spiritus conſilii, fortitudinis, ſcientiæ, & pietatis,

Miſerere nobis

Spiri-

Spiritus timoris Domini & prudentiæ;
Spiritus quô inſpirante locuti ſunt Sancti, Dei homines,
Quæ ventura ſunt nuntians,
Donum & promiſſio Patris,
Spiritus S. Paraclite arguens mundum,
Spiritus in quo dæmonia ejiciuntur,
Spiritus ex quo renaſcimur,
Spiritus per quem charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris,
Spiritus adoptionis filiorum Dei,
Spiritus gratiæ & miſericordiæ,

Miſerere nobis.

Spiritus adjuvans infirmitatem noſtram, & reddens teſtimonium ſpiritui noſtro, quòd ſimus filii Dei,
Spiritus ſuavis, benigne! ſuper mel dulcis
Spiritus pignus hæreditatis noſtræ, deducens nos in terram rectam,
Spiritus principalis, vivificans & confortans,

Miſerere nobis.

Spiritus ſalutis, judicii, gaudii,
Spiritus fidei pacis, & ardoris,
Spiritus humilitatis, charitatis & caſtitatis,
Spiritus benignitatis, bonitatis, longanimitatis ac manſuetudinis,
Spiritus lenitatis, veritatis, unitatis ac conſolationis,
Spiritus compunctionis, promiſſionis, renovationis ac ſanctificationis

Miſerere nobis.

Spiritus vitæ, patientiæ, continentiæ, ac modeſtiæ,
Spiritus omnium gratiarum,

Pro

Propitius esto, Parce nobis S. Spiritus.
Propitius esto, Exaudi nos S. Spiritus.
A Spiritu erroris, Libera nos Spiritus DEI Vivi.
A Spiritus immundo,
A Spiritu blasphemiæ:
Ab omni obstinatione, & desperatione,
Ab omni præsumptione, veritatis contradictione,
Ab omni malitia & prava consuetudine,
Ab invidia fraternæ charitatis,
A finali impœnitentia,
Per æternam à Patre & Filiò Processionem tuam,
Per invisibilem unctionem tuam,
Per omnem gratiarum plenitudinem, quâ Virginem Mariam semper possedisti,
Per supereffluentem sanctitatis abyssum quâ in conceptione Verbi, Matrem DEI inundare fecisti,
Per sanctam in baptismo Chisti apparitionem tuam,
Per salutarem super Apostolos adventum tuum,
Per ineffabilem bonitatem tuam, quâ Ecclesiam gubernas, concilias Præsides: Martyres corroboras: Doctores illuminas: religiones instituis,

Libera nos Spiritus DEI Vivi.

Peccatores, Te rogamus audi nos.
Ut in spiritu ambulemus, & desideria carnis non adimpleamus, Te rogamus &c.

Ut

Ut nunquam contristemus Te, Te roga:
Ut omnes Ecclesiasticos Ordines in sancta religione & vero spiritu conservare digneris, Te rogamus audi nos,
Ut cuncto populo Christiano cor unum: & animam unam donare digneris, Te rog:
Ut virtutum omnium complementum nobis tribuere digneris, Te rogamus audi:
Ut nos exaudire digneris, Te rogamus aud:
Spiritus Dei, Te rogamus audi nos.
Agnus Dei &c. Effunde in nos S. Spiritum.
Agnus Dei, &c. Emitte in nos promissum Patris Spiritum.
Agnus Dei, &c. Da nobis Spirit: bonum.
Spiritus Domini replevit orbem terrarum.
Et hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis.

Actiones nostras quæsumus Domine, aspirando præveni & adjuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio & operatio à te semper incipiat, & per te, cæpta finiatur.

OFFICIUM
SANCTISSIMI.
NOMINIS JESU.
AD MATUTINUM

Jesu labia mea aperies.
Et os meum annunciabit laudem tuam.

Deus in adjutorium meum intende,
Domine ad adjuvandum me festina,
Gloria Patri & Filio, &c. Sicut erat, &c.

Hymnus.

Concede JESU gratiam,
Servo daturo gloriam,
Tuo sacrato Nomini,
Adsis pio conanimi,
O Cœlites, o inferi,
O qui subestis Ætheri,
Flexum genu submittite,
Laudes eidem dicite,

Antiphona.

In Nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus, Jesus Christus in gloria est Dei Patris. *Philip.* 2.

Sit Nomen Domini benedictum,
Ex hoc nunc & usque in sæculum.

ORATIO.

DEUS qui gloriosissimum Nomen unigeniti Filii tui Domini nostri fecisti fidelibus tuis summo suavitatis affectu amabile, & malignis spiritibus tremendum, atque terribile; concede propitius, ut omnes qui hoc nomen Jesu devotè venerantur in terris, sanctæ consolationis dulcedinem in præsenti percipiant, & in futuro, gaudium perpetuæ exultationis obtineant. Per eundem Dominum, &c.

Domine

Domine exaudi orationem meam;
Et clamor meus ad te veniat.
Benedicamus Domino, Deo gratias.
Et fidelium animæ per misericordiam Dei
requiescant in pace, Amen.

AD PRIMAM

Deus in adjutorium meum, &c. *ut supra.*

Hymnus.

LÆsit DEUM mundi furor,
Hinc mors, fames, belli cruor;
Hinc ira summi Iudicis,
Hinc pæna justi vindicis.
O quis valebit, dexteræ!
Me, vindici subducere!
Nomen DEI Sanctissimum;
Tutamen invictissimum,

Antiph: Turris fortissima, Nomen Domini, ad ipsum currit justus, & exaltabitur, *Proverbiorum.* 18.

Sit Nomen Domini &c. *Oratio ut supra.*

AD TERTIAM

Deus in adjutorium meum, &c. *ut supra.*

Hymnus.

HOræ fluunt cum tempore,
Me criminum tenent moræ;
Mors clepsydram vitæ movet,
Horæ supremæ commonet.
Mens vulnerata crimine,
Ægrescit in formidine,
Medela, Jesu nominis,
Est una spes juvaminis.

Antiph:

Antiph: Oleum effusum nomen tuum, ideo adolescentulæ dilexerunt te, trahe me post te; curremus in odorem ungventorum tuorum. *Cant.* 1.

Sit Nomen Domini &c.

AD SEXTAM

Deus in adjutorium meum, &c.

Hymnus.

SPretîs profanîs actibûs,
Dum reddo me virtutibus,
Dæmon petit fallaciîs,
Mundus, caro, blanditiîs.
Iesu Tuo Nomine,
Ab hostium conamine,
Defende ad victoriam,
Tibi daturo gloriam.

Antiph. Non est aliud Nomen sub Cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. *Actor.* 4.

Sit Nomen Domini, &c.

AD NONAM.

Deus in adjutorium meum, &c.

Hymnus.

HInc cogitatus anxius,
Hinc appetitus noxius,
Hinc quidquid offendit Deum,
Tentat subire cor meum.
Adverte Iesu cœlites,
Fuga nocentes spiritus,
Et nominis signaculô,
Subduc huic periculo.

Antiph. Deus in Nomine Tuo salvum me fac, & in virtute Tua judica me. *Psal.* 3.
Sit Nomine Domini, &c.

AD VESPERAS.

Deus in adjutorium, &c.

Hymnus.

QUi vult honores, appetat,
Gemmas & aurum congerat,
Fidat suæ prudentiæ,
Mortaliumve gratiæ,
In prosperis, & tristibus,
Infamia, honoribus,
Solum mihi solatium,
Iesu Nomen Tuum pium.

Antiph. Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Domini invocabimus. *Psalm* 19.
Sit nomen Domini, &c.

AD COMPLETORIUM.

Converte nos Deus salutaris noster;
Et averte iram tuam à nobis.
Deus in adjutorium meum, &c.

Hymnus.

CUm mortis hora venerit,
Morbô supremô strinxerit,
Caligo visum cùm teget,
Auditus aurem deseret,
Nec evocare cœlitus,
Opem valebit Spiritus,
Iesu sacrum nomen Tuum,
Tunc adjuvet servum suum,

Antiph.

Antiph. Omnis qui invocaverit Nomen Domini ſalvus erit. *Ioël.* 2.
Sit Nomen Domini, &c.

Commendatio.

Ex ore culpæ conſcio,
Indigna Jesu laus ſcio,
Dignum tamen nomen tuum,
Quod lingua laudet omnium.
En reddo laudes debitas,
Admitte Jesu redditas,
Supple ſupernîs laudibûs,
Quod defuit terreſtribus.

LITANIÆ
DE SANCTISSIMO NOMINE J E S U.

Approbatæ à Sede Apoſtolica ad inſtantiam Ducis Bavariæ.

KYrie eleyſon, Chriſte eleyſon, Kyrie eleyſon.
Chriſte audi nos, Chriſte exaudi nos
Pater de cœlis DEUS, Miſerere nobis
Fili Redemptor mundi DEUS, Miſerere.
Spiritus Sancte DEUS, Miſerere nobis.
Sancta Trinitas Unus DEUS,
IESU Fili DEI Vivi, Miſerere nobis.
IESU Potentiſſime, Miſerere nobis.
IESU Fortiſſime, Miſerere nobis.
IESU Glorioſiſſime, Miſerere nobis.
IESU Iucundiſſime, Miſerere nobis.

IESU Chariſſime, Miſerere nobis.
IESU Clarior ſole, Miſerere nobis.
IESU Pulchrior Lunâ,
IESU ſplendidior ſtellis,
IESU Admirabilis,
IESU Delectabilis,
IESU Honorabilis,
IESU Humillime,
IESU Pauperrime,
IESU Mitiſſime,
IESU Patientiſſime,
IESU Obedientiſſime,
IESU Caſtiſſime,
IESU Amator caſtitatis,
IESU Amator pacis,
IESU Amator noſter,
IESU Speculum vitæ,
IESU Exemplar virtutum,
IESU Decus morum,
IESU Zelator animarum,
IESU Refugium noſtrum,
IESU Pater pauperum,
IESU Conſolator afflictorum,
IESU Theſaurus fidelium,
IESU Gemma pretioſa,
IESU armarium perfectionis,
IESU Bone Paſtor ovium,
IESU Stella maris,
IESU Lux vera,
IESU Sapientia æterna,
IESU Bonitas infinita,

Miſerere nobis. Miſerere nobis. Miſerere nobis. Miſerere nobis.

IESU Gaudium Angelorum,
IESU Rex Patriarcharum,
IESU Inſpirator Prophetarum,
IESU Magiſter Apoſtolorum,
IESU Doctor Evangeliſtarum,
IESU Fortitudo Martyrum.
IESU Lumen Confeſſorum,
IESU Sponſe Virginum,
IESU Corona Sanctorum omnium,

Miſerere nobis.

Propitius eſto, Parce nobis Iesu,
Propitius eſto, Exaudi nos Iesu,
Ab omni malo, Libera nos Iesu.
A transgreſſione mandatorum tuorum, Li.
Ab omni peccandi occaſione,
Ab incurſu omnium malorum,
A peſte, fame, & bello,
A mala morte,
A pænis inferni,

Libera nos Iesu.

Per Incarnationem tuam,
Per Nativitatem tuam,
Per Circumciſionem tuam,
Per cœleſtem nominis Iesu impoſitionem,
Per dolores tuos,
Per flagella tua,
Per mortem tuam,
Per Reſurrectionem tuam,
Per aſcenſionem tuam,
Per gaudia tua,
Per gloriam tuam,
Per dulciſſimam Virginem Matrem tuam,

Libera nos Iesu.

Per Intercessionem omnium Sanctorum tuorum, Libera nos Iesu.
Peccatores, Te rogamus audi nos.
Ut dulcem melliflui Nominis Tui memoriam, in tabulis cordis nostri digitô virtutis tuæ inscribere digneris. Te roga-
Ut Nomen hoc Sanctissimum & viventes in opere, & morientes in ore habere mereamur. Te rogamus audi nos.
Ut benignissime Iesu, nobis sis Iesus, Te;
Agnus DEI qui tollis peccata mundi, Parce nobis Iesu.
Agnus DEI qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Iesu.
Agnus DEI qui tollis peccata mundi, Miserere nobis Iesu.
Iesu audi nos. Iesu exaudi nos. Kyrie eleyson Christe eleyson, Kyrie eleyson:
Pater noster, &c.
Sit Nomen Domini benedictum,
Ex hoc nunc, & usque in sæculum.

O R E M U S.

OMnipotens sempiterne Deus, dirige actus nostros in beneplacito tuo, ut in Nomine dilecti Filii tui, mereamur bonis operibûs abundare.

Deus virtutum, cujus est totum, quod est optimum, insere pectoribus nostris, amorem tui Nominis, & præsta in nobis religionis augmentum, ut quæ sunt bona, nutrias, ac pietatis studiô quæ sunt nutrita custodias Qui vivis & regnas, &c.

ORATIONES AD IESUM.

S. Augustini Ecclesiæ Doctoris.

DOmine IESU noverim me, noverim Te
Nec aliquid cupiam nisi Te,
Ut odiam me, & amem Te;
Quidquid agam propter Te,
Humiliem me, exaltem Te,
Nihil cogitem nisi Te,
Mortificem me, & vivam in Te;
Quæcunque veniant, accipiam à Te
Persequar me, sequar Te,
Semper optem sequi Te,
Fugiam me, confugiam ad Te,
Dignus sim defendi à Te,
Timeam mihi, timeam Te,
Simque de electis à Te,
Diffidam mihi, fidam in Te,
Obedire velim propter Te,
In nullo afficiar, nisi in Te,
Aspice me, ut diligam Te,
Voca me, ut videam Te,
Et in æternum potiar Te. Amen.

II.

Divi Gregorii Papæ Ecclesiæ Doctoris.

BOne IESU, Verbum Patris splendor paternæ gloriæ, in quem desiderant Angeli prospicere, doce me facere voluntatem tuam, ut Spiritu tuô bonô deductus, ad beatam illam perveniam civitatem, ubi est dies æterna & unus omnium spiritus, ubi est certa securitas, & secura æternitas,

felix tranquillitas, & tranquilla felicitas, & felix suavitas: ubi tu Deus cum Patre, & Spiritu Sancto vivis, & regnas per infinita sæcula sæculorum, Amen.

III.

S. Bernardi Abbatis Doctoris Melliflui.

O Bone IESV, ô pissime IESV, ô dulcissime IESV, ô IESV, Fili MARIÆ Virginis plene misericordiâ & pietate. O dulcis IESV secundùm magnam misericordiam tuam miserere mei. O clementissime IESV, Te deprecor per illum sanguinem pretiosum, quem pro peccatoribus effundere voluisti, ut abluas omnes iniquitates meas, & in me respicias miserum, & indignum, humiliter veniam petentem, & hoc Nomen Sanctum IESV invocantem, O Nomen IESV, Nomen dulce. Nomen IESV, Nomen delectabile. Nomen IESV Nomen confortans, quid est enim IESVS, nisi Salvator? Ergo IESV propter Nomen Sanctum tuum, esto mihi IESVS, & salva me, ne permittas me damnari, quem Tu de nihilo creasti. O bone IESV, ne perdat me iniquitas mea, quem fecit omnipotens bonitas tua. O dulcis IESV recognosce, quod tuum est, & absterge, quod alienum est. O benignissime IESV miserere mei, dum tempus est miserendi, ne damnes me in tempore judicandi. Quæ utilitas in sanguine tuo, dum descendero in æternam corru-

ptionem?

ptionem? non mortui laudabunt te Domine IESV, neque omnes qui descendunt in infernum. O amantissime IESV, ô mitissime IESV. O IESV IESV, admitte me intrare in numerum electorum tuorum. O IESV salus in Te credentium, ô IESV solatium ad te confugientium, ô IESV! dulcis remissio omnium peccatorum, O IESV Fili MARIÆ Virginis, infunde in me gratiam, sapientiam, charitatem, castitatem & humilitatem, ut possim te perfectè diligere, te laudare, te frui, tibi servire, ac in te gloriari, & omnes qui invocant Nomen tuum, quod est IESVS. A.

IV.

P. Caroli Spinolæ Societatis JESU, Pro Fide Christi in Japonia lentô igne combusti 10. Sebt: 1622.

DIgnare benignissime IESU, per Sanctissimum Nomen tuum, esse mihi IESUS, & dare mihi spiritum illum tuum, quem, qui non habent, non sunt tui. Insere quæso cordi meo hoc amabile Nomen tuum, ut ejus dulcedine pascar, ejusq; amore ita ardeam, ut moriar in te IESV mi dulcissime, IESV mi svavissime, IESV mi dilectissime, invocatô hoc semper jucundissimô, hoc mellifluô, hoc salutiferô Nomine Tuô

IESVS, IESVS, IESVS,

Amen.

CON:

CONFESSIONIS VSVS.

O Domine, lachrymas, contritionem, misericordiam, & veniam humiliter efflagito, qui veniam publicanis, meretricibus, latronibus, non denegasti ne patiaris me diutiùs præ contritionis desiderio langvere, aut interire. Premunt cor meum mala, quæ non sum verecundatus facere in facie Cœli. Video, ah me! adversum tui mi DEVS irati vultum, heu! heu! quis me liberabit à perditione mala hac? quis placabit Vindicem Deum? plorans plorabit anima mea, gemens sub pondere peccatorum. Ah damnum! Filij ego titulum prorsus perdidi, sed an tu Patris? tu tamen Pater es. Aperi igitur piissime Pater, aperi neminem despicientes oculos tuos! vide indignum quidem visu, tamen Filium ad te ô Pater recurrentem, audi confitentem: peccavi coram Cœlo, terra & te Pater non ampliùs tamen. malo millies mori, quam te offendere, hic sit terminus delictorum meorum, Amen.

ACTVS

Ex Doctrina Concilij Tridentini.

SAnctissima TRINITAS DEVS meus, credo firmissimè, & super omnia, te DEVM meum & culpîs nostrîs offendi,

& pæni-

& pœnitentiâ placari, credo, & profiteor remiſſionem peccatorum, & Sacramentum pænitentiæ ad eandem remiſſionem peccatorum noſtrorum à Domino noſtro JESV Chriſto inſtitutum &c. Credo inquam, propter ſummam illam veracitatem, quâ hæc omnia revelaſti, & per Eccleſiam credenda propoſuiſti.

Timeo equidem à judicijs tuis, & demeriti mei conſcius, & te revelante, eſſe te Judicem, Vindicemque peccatorum noſtrorum rigidiſſimum, juſtiſſimum non ignorans. Tamen & ſumma tua, ac miſericordiſſima in nos bonitas, & promiſſa à te pœnitentibus venia, ſpem mihi facit firmiſſimam per hoc, quod cum gratia tua ſuſcipere intendo, pœnitentiæ Sacrementum, obtinendæ remiſſionis delictorum meorum. O Fons omnis boni, amo te, & oro te, juſtifica me! En enim omnium peccatorum maximus.

Deteſtor, & execror ex toto corde omnia peccata mea, ſuper omnia deteſtabilia, doleoque ſummè, ſummam illam, ac infinitam bonitatem, perfectionem, Excellentiam, Majeſtatem tuam à me offenſam, quam amo nunc & appretio ſuper omnia, propter illammetipſam, petô humillimè veniam, firmiſſimèque propono, gratiâ tuâ adjuvante, non te unquam ampliùs offendere, qui omni noſtro amore,

cultu, obſequiô digniſſimus es: quia DEVS es, quia id es, quod es.

O Clementiſſima Virgo JESV Chriſti Redemptoris mei Mater dilectiſſima, intercede pro me apud eundem Filium tuum, impetra mihi gratiam, ut cum animæ meæ fructu, & vero cordis dolore, Confeſſionem inſtituam; impetra mihi plenam remiſſionem peccatorum, & perfectam vitæ emendationem, ad animæ meæ Salutem, ad tuam tuiq; Filij gloriam ſempiternam, Amen.

POST CONFESSIONEM

BEnigniſſime JESV, revertor ad te cum leproſo mundato, & cadens in faciem meam ante pedes tuos gratias ago, quia me à lepra peccatorum Sangvine tuo mundaſti; benedicta ſit in æternum Bonitas tua, quæ me reſpexit longè errantem, & non projecit à facie ſua me canem fætidum, ſed omnia peccata mea poſt tergum ſuum projecit. Quis ſum ego Domine, quia dignatus es me rebellem, me tui contemptorem, viliſſimumq; terræ vermiculum, me fugitivum, tam benignè trahere ad Te, tam miſericorditer oſculô pacis donare? ô Pater miſericordiſſime, qui me prodigum Filium ad te reducem ſuſcepiſti, ſtolâ gratiæ induiſti, paternô

ample-

amplexu dignátus: miſericordias tuas igitur cantabo in æternum, & benedicam te in omni tempore, qui propitiaris iniquitatibus meis, qui redimis de interitu vitam meam, qui coronas me in miſericordia, & miſerationibus. Quis veró jam amplius me ſeparabit à te ô bone J E S V? an tribulatio? an mors? nihil horum: cum gratia tua ſtatuo firmiter cuſtodire judicia juſtitiæ tuæ. Malo mori, quàm fædari, quia mihi bonum eſt adhærere tibi. Confirma Domine hoc propoſitum meum, quod in me operatus es. Adjuva me Domine JESV, ô Virtus mea, firmamentum, & Liberator meus, Adeſto Divina Mater, peccatorum refugium. Adeſte Beati Cœlites Patroni mei, Amen.

USUS SACRÆ
COMMUNIONIS.

DIgnare ſuſcipere ô Beata TRINITAS Unus DEVS hoc Sacrificium, & Communionem Corporis & Sanguinis D. N. J. C. quæ ego indignus peccator & inutilis ſervus tuus, omnium Sanctorum triumphantium, & militantium, omni poſſibili reverentiæ gratitudinis, amoris, & devotionis affectu offero Divinæ Majeſtati tuæ, unà cum Communionibus Beatiſſimæ V. MARIÆ, & omnium Sanctorum,

ſecun-

ſecundùm tuam Sanctiſſimam, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ intentionem.

Actus Fidei.

CRedo firma fide Domine IESV Chriſte propter tuam revelationem, te ſub accidentibus Euchariſticis eſſe verè, & realiter præſentem, unà cum Divinitate, animâ, & corpore tuo pretioſo, & quidem per converſionem totius ſubſtantiæ vini in Sangvinem, illum inquam DEVM te præſentem credo, & confiteor in hoc Sacramento, qui ex Patre genitus es ante omnia ſæcula, ei conſubſtantialis qui pro ſalute noſtra incarnari, naſci & mori voluiſti, qui denique à mortuis redivivus, nunc ad dexteram DEI Patris ſedes, judex vivorum, & mortuorum.

Actus Gaudij

GAude, & exulta anima mea: ecce Rex tuus venit tibi, en ipſe ſtat poſt parietem, & velamen iſtorum accidentium panis en pulſat ad cor tuum ut ipſi aperias ô quanta mea felicitas! Regem Cœli, & terræ meô ſuſcipiam hoſpitiô illum complectar quem caſtîs ſuîs viſceribûs, quem in ulnis ſuis Virgo geſtavit, cujus viſione omnes Beati in Cœlo ſatiantur.

Actus Humilitatis.

SEd unde hoc mihi, ut Dominus meus veniat ad me? quis enim ego ſum Domine? & quis tu; tu candor lucis

æternæ, infinita puritas; ego putredo, ego ſumma fæditas. Tu immenſa Majeſtas, ego vermis, & cinis; ergonè parùm eſt tibi ſemel in ſtabulo pro me natum eſſe, quia hodie iterum ad ſterquilinium cordis mei intrare deſideras? ô Domine exi à me, quia homo peccator ſum, non eſt bonum hunc panem filiorum mihi cani putrido dare, non expedit hanc Redemptionis noſtræ gemmam pretioſam ante porcum projicere.

Actus Spei.

SCio Domine, quia propter peccata mea indignus ſum àére, quem reſpiro, indignus Cœlô quod aſpicio, dignus mille infernis. Et quomodo præſumam accedere ad te ſub his Euchariſticis ſpeciebus verè præſentem? ibi enim adeſt corpus tuum ſole ſplendidius, electum ex millibus. Ibi eſt Sanguis pro noſtra ſalute effuſus, ibi denique latet Divinitas tua. Abyſſus tamen malitiæ, nequitiæ, & nihili mei abyſſum invocat miſericordiæ; & bonitatis tuæ Domine. Nam licet plures ſint arenâ maris iniquitates meæ. Spero tamen, quia non repelles me à te; Spero in pretio Sanguinis tui, utique Domine, nihil horum odiſti? quæ feciſti, utique & catelli edunt de menſis Dominorum ſuorum.

Tædium.

USquequo Domine dulciſſime amor

mi JESV tenes animam meam? & non venis ad eam, ecce jam tædet ipſam vitæ ſuæ, Domine deſcende, feſtina, veni priuſquam moriatur vita mea, in me, & antequam extinguatur lucerna Spiritûs mei. Odioſa eſt mihi vita mea omnis dulcedo amara, omnis conſolatio inſulsa, longa eſt mihi omnis mora, aut tolle me, aut veni ad me, Ades Domine ades, deſidero te millies, moriar ſinè te, veni, oſtende mihi faciem tuam. Adeſto JESV, adeſto ocyus, & tædium cordis mei præſentiâ tuâ releva, nolo Angelos, nolo quidquam tuum, Te volo, Tu veni.

Invitatio Chriſti.

INvito te Chriſte ad cordis mei domunculam, tibi deſideratam, apertam, & pro paupertate mea paratam, veni igitur mi dulcis IESV, veni, veni dilecte mi formoſe mi. Veni unice mi, veni ſimilis capreæ hinnuloquè cervorum. Veni ſaliens in montibus, tranſiliens colles, veni ...enſor Cœlorum, Aſcenſor Cherubinorum; qui ambulas ſuper ventorum pennas, veni en Te concupiſco, veni tui amore langueo, veni mi JESV veni, & deſiderium meum imple, implendo auge, ut plus te appetat, te habeat, te habere in æternum gaudeat.

Jam jam acceſſurus.

VEni ergo bone IESV! veni Sponſe animæ

nimæ meæ! ad me, & nè ſpernas pauperculam animam meam. Veni ô unice amor meus! o IESV dono tibi cor meum, animam meam, corpus meum, paratum cor meum DEVS, paratum cor meum,

O DEVS! qui paſcis me à juventute mea, da mihi panem hunc vitæ ſuperſubſtantialem quotidianum, ut mortem non guſtem in æternum, Amen.

POST SACRAM

COMMUNIONEM

SAlve mundi Salutare, Salve IESV Salve chare; cordi tuo me aptare vellem verè; tu ſcis quare, ore meô te contingo, & ardenter ad me ſtringo, in te meum cor intingo, O quàm dulcis panis iſte, qui te guſtat IESV Chriſte, tuo victus à dulcore mori poſſet præ amore. O mi IESV! portio tua corpus meum, portio mea corpus tuum. O mi IESV! portio tua voluntas mea, portio mea voluntas tua; ô ſi Sanguinem poſſem fundere pro te.

Actus Adorationis

SAluto, & adoro Te Auguſtiſſimum SACRAMENTUM, adorationibus omnium hominum & Angelorum uſque ad diem judicij duraturis.

Laudo, & adoro te Sanctiſſimum SACRAMENTUM, tot laudibus, quot ore proferri, quot corde omnium hominum unquam

quàm excogitari potuêre, vel possunt.

ACTVS.

Gratiarum Actionis.

QVid retribuam tibi Domine IESV? pro omnibus, quæ tribuisti mihi? quomodo te non amabo dulcissime hospes? amorque mi IESV, aut potiùs quomodo te amabo?

O Quis etiam mihi det omnium Sanctorum triumphantium & militantium corda ad te mi IESV diligendum? ô! utinam haberem latitudinem cordis sicut arena maris, sicut totus mundus, ut amare te possim latissimè mi IESV, utinam cor omnium Angelorum, atque utinam cor tuum, & MARIÆ meum esset, ut ardo re succensus Seraphicô, & Divinô igne inextingvibilis charitatis tuæ ardeam, & totum me consumat, totum rapiat ignita vis amoris tui.

ACTVS

BEnedic mi IESV, hospes amantissime toti corpori, animæ, vitæ, membris in quibus es receptus, & hodie moraris. Benedic linguæ meæ, pectori, palatui, atque illi horæ, momento; quo ad me venisti, Benedic omnibus cogitationibus, operibus, sermonibus, officiis, motibus meis.

Credo quia tu es Christus Filius DEI Vivi, qui ad me descendisti. Vivo ego,

jam

jam non ego, vivit verò in me Christus. Cor meum, & caro mea exultaverunt in DEO meo. Per viscera misericordiæ DEI nostri in quibus visitavit nos oriens ex alto. Domine IESV noverim me noverim te nec aliud cupiam extra te, Credo, quòd Redemptor meus vivat, vivit in me Christus.

Exultat Spiritus meus in DEO salutari meo, Gratias tibi ago, quia tu venisti ad me, Dominus meus, & DEUS meus. Osculor Domine Sacrosancta vulnera tua.

Vivat in me IESVS, regnet, triumphet IESUS, DEI vivi, & MARIÆ Filius, qui ex Patre genitus, ante omnia sæcula ei consubstantialis pro me nasci & mori voluit, qui denique à mortuis victor exijt.

Amate, & recreate Dominum in me contentum omnes Sancti Angeli, cantate illi Sanctus vestrum. Saluto te hospes amantissime cum tua Sanctissima Genitrice, Matreque omnium nostrum MARIA, quæ te vivum, & triumphantem de morte recepit, salutavit, amplexa est.

Ad B. V. MARIAM.

RESpice in me Virgo Gloriosissima MARIA, quia nunc habeo in corde meo amantissimum Filium tuum IESUM, illum ipsum hodie donô datum tibi repræsento, & offero tuis brachijs constringendum, tuo ore exosculandum, & unà mecum adorandum.

Sancti Angeli, Sancti Archangeli, Cherubim, & Seraphim, aſpicite primogenitum Patris æterni, Quem introeuntem orbem terrarum juſſu Patris adoraſtis, adorate nunc eum in corde meo, cantate illi pro me Sanctus, &c.

Omnes Sancti, & Sanctæ DEI vos præſertim Patroni mei. NN. amate in corde meo, laudate, & magnificate mecum hunc Dominum meum, quia eſurientem implevit bonis, & reſpexit ſuper canem mortuum ſimilem mei, Amen.

OFFICIUM CRUCIFIXI
HONORIS

V. P. Gaſparis DRUZBICKI, Soc: IESV.

AD MATUTINUM,
Captivitas Honoris.

IAm rara Cœlo ſidera,
Noctis pavorem temperant;
Surgamus inter vincula,
DEI canamus Filium.
O cara IESV ſervitus,
Tua ligari compede,
Tuis catenîs corripi,
Noſtros honores poſcimus.
Te, mancipati poſtmodum,
Tuîs honores nexibûs,

Per

Per Paſſionis tormina,
Magnîs ſequentur paſſibûs.
Soli Deo ſit gloria,
Magnique ſplendor nominis;
Nobiſque ſit contemptui,
Honoris æſtimatio.

Ad PRIMAM.

Judicium Honoris

O Proditoris impij,
Captive linguâ, Conditor,
Et rurſus inſurgentium,
Damnate linguis judicum.
Ductore Te, Te præſide,
Noſtros honores temnimus,
Noſtrique famam Nominis,
Linguis litamus hoſtium,
Nos lingua judicantium,
Nos ſermo detrahentium;
Nos ſuſpicaces cum ſuis,
Damnent ſodales æmulis.
Nos damnet exprobrantium;
Atrîs Tribunal calculîs,
Nos lingua damnet, quæ DEI,
Non parcit innocentiæ.
Soli DEO ſit gloria, &c.

Ad Tertiam.

Flagellatio Honoris.

HEu! ad columnam, maxima,
Cœli Columna ſtringitur,
Suisque nuda veſtibûs,
Ipſo pudore ſe tegit,

Me, me ſceleſti perfidîs,
Linguæ flagellîs cædite,
Me, me meamque gloriam,
Ad hanc columnam ſtringite.
Et ut flagellis aptior,
Linguæque fiam verberi,
Nudatus omni gloria,
Veſtes honori detraho.
O ſæva linguæ verbera,
O dura famæ vulnera,
Veſtro notati vulnere,
DEI æmulamur Filium.
Soli DEO ſit gloria, &c.

AD SEXTAM.

Honoris Coronatio.

SAlve ſeverîs lilium,
Cinctum vepretîs tempora;
Et inter irridentium,
Inſana punctum ſcommata,
Et nos acutæ protinus,
Noſtrique famam Nominis,
Lingvæ coronent, & ſuîs,
Intexta verba ſentibus.
Nos æmulorum ſcommata,
Acuminatîs vepribûs,
Sarcaſticiſque vulnerent,
Ironiarum luſibus.
Subtile, mordax, invidens,
Suiſque pungens fraudibûs,
Verbum parabit ſpineam,
Noſtro coronam nomini.
Soli DEO ſit gloria, &c.

AD NONAM.

Crucifixio Honoris.

Asſurge lingua celſiùs,
Noſtrique tortor nominis;
In àëris confinia,
Dei ſequamur Filium.
Hic inter alta montium,
Interque riſus omnium,
Honores oſores, Crucem,
Clavosque lingua ſuppleat.
Hic inter amplexus Crucis.
Tutè Deo propinquior,
Fixos honores, debitum,
Chriſto trophæum dedico
Sævi Tyranne, ſi placet,
In nos, honorum carnifex,
Aperta cordis intima,
Scrutare linguæ lanceâ.
Hic, cogitata, cum meæ,
Intentionis abditis;
Hic, dicta ſuſpicacibûs,
Examinato lancibûs.
Soli Deo ſit gloria,

AD VESPERAS

Mors Honoris.

O Mors! Honorum maxima,
Mox, & cadentis gloriæ,
Suadente ſomnum veſpere,
Noſtros honores comprime.
Hic ante mortem corporis,
Subire mortem nominis,

Hic in

Hic in ſinu crucis placet,
IESV peremptO commori.
Occlude fama lumina,
Vultum, caputque dejice,
Vt mortis in veſtigijs,
DEI ſequamur Filium.
O! in manus tuas Pater;
Famæ peremptæ ſpiritum,
Agoniamque Nominis,
Inſtante commendo prece:
Soli DEO ſit gloria, &c.

AD COMPLETORIUM.

Sepultura Honoris.

SEd jam reductô Veſpere,
Adultus expirat dies,
Umbræque confixæ Cruci,
Suadent ſepulchrum gloriæ.
O! ergo detrahentium,
Guttur: ſepulchrum ſuppleat;
In quo ſepultum mortuæ,
Famæ cadaver, condimus.

Vel ſi placet ſubscriptio.

Hæc; in ſepulchri marmore,
Scribatur; *Hic ſecuriùs.*
Honor quieſcit mortuus.
Tu mortis & vitæ DEUS,
Famæ ſepulchrum poſſide,
Vt ſuſcitata poſtmodum,
Ad te reſurgat judicem.
Soli DEO ſit gloria, &c.

OFFI.

OFFICIUM
De
CAPITE CHRISTI SPINIS CORONATO
AD MATUTINUM.

IESU labia mea aperies.
Et os meum annuntiabit laudem tuam.
Deus in adjutorium meum intende,
Domine ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui &c
Sicut erat in principio & nunc, &c.

Hymnus.

DIva Caro IESU mei,
Cæsa plagîs instar rei,
Ferox miles frontem pronam
Adhuc trahit ad coronam,
Mea caro me flagellat,
Fomes intus mecum bellat.
Trahe tecum sub spinetum,
Caput, sorde carnis fætum.

Antiphona.

Levavit Abraham oculos suos, viditque post tergum arietem inter spinas cornibûs hærentem, quem assumens, obtulit holocaustum pro Filio. Gen: 2.

℣. Succensa est velut ignis iniquitas,
℟. Veprem & Spinas vorabit.
Domine exaudi orationem meam

Et clamor meus ad te veniat.

Oremus

Domine IESU Christe, qui post flagella, spineam coronam accepisti: præsta, ut meum caput illi quoq; infertum, ab omni infesta puritati tentatione defensum, pura tibi mente deserviat. Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritûs Sancti Deus in sæcula sæculorum, Amen.

Domine exaudi orationem meam,
Et clamor meus ad te veniat.
Benedicamus Domino, Deo gratias.
Et fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace, Amen.

AD LAUDES.

Deus in adjutorium meum intende,
Domine ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui, &c:

Hymnus.

NEctit cæsas scelus frondes;
In his IESU caput condes,
Dolens punget stylus ille,
Infigétq; plagas mille.
Ah! sit mihi hæc punctura,
Cum me vexat mens impura,
Contra dolos hostis hasta,
Ne in mente lædar castâ.

Antiphona.

Et nunc ostendam, quid faciam vineæ meæ: accendent vepres & spinæ. Isaiæ 5.

℣. Operuerunt superficiem ejus spinæ,

℟. Et

℟. Et maceria lapidum destructa erat.
Domine exaudi orationem meam,
Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

DOmine IESU Christe, qui petulanti militiæ, sanctissimum Caput tuum ad spineam coronam permisisti: fac, ne insultibus inimici, permittam caput meum comprehendi, ut intaminatâ mente tibi sēper adhærescat. Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritûs Sancti, Deus, in sæcula sæculorum, Amen.

Domine exaudi orationem meam,
Et clamor meus ad te veniat.
Benedicamus Domino, Deo gratias.
Et fidelium animæ, per misericordiam Dei requiescant in pace, Amen.

AD PRIMAM.

Deus in adjutorium meum intende;
Domine ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri, & Filio. & Spiritui Sancto &c.

Hymnus.

SÆva manus, frondis plexæ
Acu densâ circumnexæ
Crudô ictu intra crines,
Condit IESU diros fines,
Meum caput spina figat,
Quod carnalis compes ligat:
Pungat, premat, ut cruore,
Fusô, server in pudore.

Antiphona.

Indutus est Iustitiâ, ut loricâ ut galea falutis in capite ejus: indutus est vestimentîs ultionis, & opertus est quasi palliô zeli, Job. 59.

℣. Egredimini & videte Filiæ Sion Regem Salomonem in diademate,

℟. Quo coronavit eum Mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis ejus.

Domine exaudi orationem meam,
Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

DOmine IESU Christe, qui Spineâ Coronâ pro peccatis cogitationum carnis voluisti configi, supplices exoramus, ut hos, tunc infigas menti nostræ aculeos, cum Satanæ insidiîs ad lubricum lapsum allicie-mur. Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritûs Sancti Deus in sæcula sæculorum, Amen.

Domine exaudi orationem meam,
Et clamor meus ad te veniat.
Benedicamus Domino, Deo gratias.
Et fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace, Amen.

AD TERTIAM

Deus in adjutorium meum intende;
Domine ad adjuvandum me festina:
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui, &c.

Hymnus.

IAm Corona Caput terit,
Illam fuste miles ferit,

Ut in

Ut in frontis pergat ima,
Vi coacta forti ſpina.
Tam profundum vulnus meo;
Da capiti miles reo;
Premat intus malam tabem;
Et expungat mentis labem.

Antiphona.

Indignatio non eſt mihi: quis dabit me ſpinam & veprem in prælio; gradiar ſuper eam, & incendam eam pariter, Iſaiæ 27.

V. Sicut lilium inter Spinas,
R. Sic amica mea inter Filias Adæ.
Cant. 2.

Domine exaudi orationem meam,
Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

PUriſſime IESU, cujus Capiti impiorum Crudelitas, Spinas violentô fuſtium ictu impellebat: per dolores hos rogamus Te, ut rebellem carnis noſtræ fomitem, per impuras cogitationes cor infeſtantem, his plagis ſubjicias. Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritûs Sancti, Deus, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Domine exaudi ôrationem meam,
Et clamor meus ad te veniat.
Benedicamus Domino, Deo gratias.
Et fidelium animæ per miſericordiam Dei requieſcant in pace, Amen.

AD SEXTAM

Deus in adjutorium meum intende,

Domine ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui, &c.

Hymnus.

CAput IESU horret Spinîs,
Quas implexus stringit crinis,
Sangvis tingit vultûs genas,
Ut acumen punxit venas.
Spinæ meum sauciate,
Caput, acu vulnerate:
Fervens æstu sangvis fluat,
Ne jacturam pudor luat.

Antiphona.

Caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttîs noctium, Cant. 5.

℣. Dilectus meus candidus & rubicundus,
R. Electus ex millibus *Cant.* 5.
Domine exaudi orationem meam,
Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

INnocentissime IESU, ex cujus Capite per Spinarum aculeos apertô purissimus sangvis effluens, vultum & genas decoloravit: quæsumus, ut illô fervores carnis nostræ exstingvere digneris, & verecundô tibi corde facias servire. Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritûs Sancti, Deus, in sæcula sæculorum, Amen.

Domine exaudi orationem meam,
Et clamor meus ad te veniat.
Benedicamus Domino, Deo gratias.
Et fidelium animæ per misericordiam

Dei requiescant in pace, Amen.

AD NONAM.

Deus in adjutorium meum intende;
Domine ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui &c.

Hymnus.

AUres IESU, pungunt sentes,
Et pupillas innocentes,
Os & lingva cum dolore,
Sangvis implet indecorè.
Hostes mei, sensus truces,
Ad impura mali duces,
Sub coronam Christi ite,
Voluptatem hâc punite.

Antiphona.

Nubes & caligo in circuitu ejus: justitia & judicium correctio sedis, ejus. Ps. 96.

℣. Sepi aures tuas spinis,

R. Lingvam nequam noli audire, & ori tuo facito ostia & seras. *Eccl.* 28.

Domine exaudi orationem meam,
Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

DOmine IESU Christe, cujus corona Spinea sacratissimos sensus afflixit, quæsumus bonitatem tuam, ut eadem sit custos nostrorum sensuum, ne lubrica labes cor nostrum inficiat, Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritûs Sancti, Deus, in sæcula sæculorum, Amen.

Domine exaudi orationem meam,

Et clamor meus ad te veniat.
Benedicamus Domino. Deo gratias.
Et fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace, Amen.

AD VESPERAS.

Deus in adjutorium meum intende,
Domine ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui, &c.

Hymnus.

AH! quis dolor, tunc te punxit?
Cum se fronti spina junxit,
Cum & ossa id acumen,
Perforavit insons Numen.
Fac, o! IESU, hi dolores,
Turpes mente pellant mores:
Illi illi, caput urant,
Hostes ictum cum maturant.

Antiphona.

Cum tradiderit mihi Dominus Zebee & Salmana, in manus meas, conteram carnes vestras cum spinis & tribulis deserti. Jud. 8.

℣. Dissipat cogitationes malignorum,
R. Ne possint implere manus eorum, quod cœperant. *Job:* 5.
Domine exaudi orationem meam,
Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Domine IESU Christe, per coronam spineam accerbissimîs doloribûs afflicte, oramus te; transsmitte dolores tuos in animas, carnis illecebrîs illaqueari pronas; & præ-

& præſta, ut per hos ſuperetur omnis, quæ mentem ſollicitat, voluptas, ut tibi illibatô corde placeant. Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritûs Sancti, Deus, in ſæcula ſæculorum, Amen.

Domine exaudi orationem meam,
Et clamor meus ad te veniat.
Benedicamus Domino, Deo gratias.
Et fidelium animæ per miſericordiam Dei requieſcant in pace, Amen.

AD COMPLETORIUM.

Converte nos Deus ſalutaris noſter,
Et averte iram tuam à nobis.
Deus in adjutorium meum intende,
Domine ad adjuvandum me feſtina.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui, &c.

Hymnus.

SAnctum Caput ſub hoc prælo,
Tibi, tibi me revelo,
Caro, Satan, urit ſorde;
Ut incæſtô vivam corde,
Niſi tuo ſalver ſerto,
Carnem ſequar, te deſertô,
In ſpinosa ergo fronde,
Caput meum, rogo, conde.

Antiphona.

Sciens dolorem ejus, deſcendi, ut liberem eum de manibus Ægyptiorum, & educerem de terra illa in terram bonam, Exod. 3.

℣. Dixerunt omnia ligna ad rhamnum: veni & impera nobis.

R. Venite, & ſub umbra mea requieſcite, *Jud.* 9.
Domine exaudi orationem meam,
Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Domine IESU Chriſte, unicum refugium animarum, illecebras ſæculi fugientium: ſupplices te rogamus, ut nos ſub ſpinoſo tui capitis ſerto collocatos, non ſinas illiciîs carnis infeſtari, & in his præſidium conferre digneris. Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritûs Sancti Deus in ſæcula ſæculorum, Amen.

Domine exaudi orationem meam,
Et clamor meus ad te veniat.
Benedicamus Domino, Deo gratias.
Et fidelium animæ per miſericordiam Dei requieſcant in pace, Amen.

COMMENDATIO.

IESU pro me ſentes paſse,
Doloribûs Spinæ laſſe.
Spinis horas has innecto,
Mentem pronam tibi flecto!
Non me ſinas inquinari,
Qui paſſus es coronari.
Cum vexabit nos libido,
Ictus ſpinâ ſit cupido.

Oremus.

DEUS, qui Unigenitum Filium tuum Dominum noſtrum IESUM Chriſtum tradi impiorum manibus voluiſti, &

inter

inter plurimos cruciatus, etiam Coronam Spineam ſubire in ſalutem animarum noſtrarum: da nobis in continuis à carne periculis verſantibus, per illos Capitis tui dolores, tanti hoſtis incurſus ſalutariter devitare. Per eundem Dominum noſtrum IESUM Chriſtum Filium tuum qui tecum vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

Divinum auxilium maneat ſemper nobiſcum, Amen.

LITANIÆ

De IESU

Spinîs Coronato

KYrie eleyſon; Chriſte eleyſon.
Kyrie eleyſon.

Chriſte audi nos, Chriſte exaudi nos.
Pater de Cœlis Deus, Miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, Miſerere nobis.
Spiritus Sancte Deus, Miſerere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, Miſerere nobis.
IESU ad Spineam coronam damnate.
IESU Spinâ coronate,
IESU ſub ſpinea corona Rex dolorum,
IESU Agne innocens in vepribus hærens.
IESU lilium inter ſpinas,
IESU granum electum in ſpinas cadens,
IESU roſa ſub vepreto,
IESU via ſpinis ſepta,
IESU rubus amore noſtri ardens,
IESU Dulcis in ſpinis uva,
Miſerere nobis.

IESU hortus ſpinîs concluſus,
IESU vinea vepribûs circumjecta,
IESU per ſpinam puritatis defenſor,
IESU ſpinîs coronate, refugium tentatorum,
IESU immundi Spiritûs per Spinas exturbator, Miſerere nobis.
IESU Sangvine Capitis balneum animarum
IESU puræ mentis per ſpinas ſeminator,
IESU verecundi pudoris per ſpinas, conſervator,
IESU Sangvine Capitis ſuffocans Aſmodæum,
IESU illibatum florem rore ſangvinis nutriens,
IESU impurîs mentibûs ceu ſpinâ afflicte,
IESU ſpinîs in Capite vulnerate,
IESU ſpinas carnis noſtræ infringens, Miſerere nobis.
Propitius eſto, Parce nobis IESU,
Propitius eſto, Exaudi nos IESU,
Ab omni periculoſa tentatione carnis, Libera nos IESU,
A Spiritu immundo, Libera nos IESU,
A pudoris jactura, Libera nos IESU,
Ab occaſionibus puritati pernicioſis Libe:
Per ſpinas tuas, Libera nos IESU,
Per aures tuas ſpinîs ſeptas, Libera nos:
Per oculos tuos vepribûs punctos, Libera:
Per os ſanctiſſimum Sangvine repletum, Libera nos IESU,
Per lingvam tuam ſangvini immerſam, Li:

ſam, Libera nos IESU,

Per omnes Cruciatus Sanctiſſimi Capitis tui, Libera nos IESU,

Agnus DEI qui tollis peccata mundi, Parce nobis IESU,

Agnus DEI qui tollis peccata mundi, Exaudi nos IESU,

Agnus DEI qui tollis peccata mundi, Miſerere nobis.

Chriſte audi nos, Chriſte exaudi nos.

Kyrie eleyſon Chriſte eleyſon,

Kyrie eleyſun.

Pater noſter. &c.

Antiphona.

Sub Spinæ tuæ præſidium confugimus coronate Spinîs IESU, noſtras deprecationes ne deſpicias, ſed à cunctis periculis & hoſtibus verecundiæ libera nos Caſtiſſime IESU,

V. IESU verecundiſſime, ſub ſpineò ſerto dolentiſſime, miſerere nobis.

R. Ut tibi intaminatâ mente ſervientes, digni efficiamur amore tuô.

Oremus.

DOmine IESU Chriſte, qui ex terra maledicta, Spinas & tribulos tibi plecti voluiſti, & per omnes Sanctiſſimi Capitis ſenſus, aculeis affligi, ut æterno Patri, inverecundîs cogitationibûs noſtrîs offenſo te victimam dares: per tuam ſpinam imploramus Te, ut, ab illa in periculoſis

carnis

carnis tentationibus præſidium capientes; coronari mereamur in Cœlis. Claude Sanctîs Spinîs aures, ad perniciosa intaminato cordi prurientes: punge oculos petulanter ſpectantes: confige lingvam ad laſciva pronam: ora conclude, ad ſermones inſolentes procacia: faciem deforma, libidinoſas elegantias quærentem. Qui Catharinæ Senenſi ſertum hoc contuliſti, & Gertrudem armaſti, noſtris quoq; frontibus inſere, ut nihil in mente voluptatis reſideat, nil in aure inverecundi ſonet, nihil à lingva & ore laſcivi excidat: profligetur infernus, mortificetur caro, extingvantur immundi æſtus, & ſola puritas Angelica in corde regnet. O! ſub Spinea Corona Rex dolorum: ſuccurre miſeris periclitantibus, adde vires luctantibus cum ſtimulo carnis, reprime tentationum turbas, ſepi viam ſpinîs; quibûs retrudatur omnis Satanæ incurſio: ut te Agnum immaculatum ſequi in cœlis non coinquinati poſſimus. Qui vivis & regnas cum Deo Patre, in unitate Spiritûs Sancti Deus in ſæcula ſæculorum, Amen.

Affectus ad Spinoſum Caput Chriſti.

Spina Chriſti corona me;
Caput Chriſti cura me:
Vulnera Chriſti ſanate me:
Sangvis Chriſti munda me:
Labia Chriſti loquimini pro me:
Oculi Chriſti reſpicite me:

Genæ

Genæ Christi inornate me:
Aures Christi audite me;
Christe coronate recipe me:
Intra Coronam admitte me;
Ut uerecundus laudem te: Amen.

V. Tu autem Domine susceptor meus es
R. Gloria mea exaltans caput meum.
Domine exaudi orationem meam,
Et clamor meus ad te veniat.

Oremus

DOmine Deus noster, respice Caput spinis coronatum unigeniti Filij tui, & miserere nostri, ne insidiis impuri Satanæ illaqueati, rebelles tibi, doloribus Filij tui Domini nostri ingrati vivamus, & immundi, immundo Spiritui placeamus. Per eundem Dominum nostrum IESUM Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs Sancti, Deus, in sæcula sæculorum, Amen.

Aspirationes in tentationibus ad Christum Spinîs Coronatum.

IESU Spinîs coronate,
Puncte Caput, lacerate:
Mentem meam sepi spinâ,
Ne in carnis sim sentina.
Istud sertum dolorosum,
Cinxit caput gloriosum,
Ut à pulchra carnis fuga,
Sub hæc curram vepris juga;
Me nunc urit iste fomes:

Illum

Illum tantis Armîs domes:
Vivam castè, vivam tutè,
Hæc in mea fige cute,
Ille dolor tam spinosus,
Libidini est exosus.
Fugit Venus triumphata,
Spinæ acu impugnata.
Instant Satan cum Natura,
Castam mentem subrutura,
Instat mundus, instat Orcus;
Ut in cæno stertam porcus.
Ne in fætens lutum cadam,
Orci sordes fac evadam.
Sepi viam diva spina,
Ut non condar hac ruinâ.
Horret caput acri sente,
Malâ quando pungor mente.
Illas vepres Vir Divine,
In tentato conde crine.
Non me illa vis inferna,
Voluptate, in æterna
Trahat claustra peccatorem;
Adde spinam defensorem.
Spinam rogo, spinam clamo,
Quia castam mentem amo.
Cingat caput, à te peto,
Sim lilium in spineto.
Satis punxit hoc acumen,
Tuum Caput insons Numen.
Me nunc pungat, sub punctura,
Vivam tibi mente purâ.

O! mi

O! mi IESU, tanta bella,
Armîs ſpinæ fac debella.
Ruet hoſtis, & Coronæ,
Dabo caput in agone.

V. Plectentes coronam de ſpinis,
R. Poſuerunt ſuper Caput ejus.

Oremus.

DA nobis Domine diabolica vitare contagia, & ſub ſpinoſo Capite Filij tui Domini Noſtri IESU Chriſti militantibus, puritatem animi & corporis tribue, ut Regi Angelorum, Angeli mente & corde ſerviamus. Per eundem Dominum noſtrum IESUM Chriſtum Filium tuum qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs Sancti Deus in ſæcula ſæculorum,

A
M E
N.

ORA-

ORATIONES
Sanctæ BRIGITTÆ.
De Passione Christi longè devotissimæ,

IN volumine Revelationum S. Brigittæ Romæ, operâ Olai Magni ArchiEpiscopi Vpsalensis in ipsiusmet S. Brigittæ ædibus impresso, propè initium refertur Crucifixum S. Brigittæ ardenter in Ecclesia S. Pauli sub Cripta oranti dignatum fuisse loqui; præmiumque indixisse omnibus copiosum, qui legerint XV. illas Orationes, quas ipsa dudum in Patria & Monasterio Alvastræ Lincopiensis Diœcesis Ordinis Cistercensium, quatuor annîs post obitum mariti ibidem manens, suggerente Spiritu Sancto devotissimè composuit & continuè dixit, addens in earum fine totidem.

Pater noster & Ave Maria &c.

Ea ergo privilegia à Christo Domino his Orationibus concessa, speciatim Leisentritius in libro suo precatorio, quem in solatium Catholicorum, medios inter hæreticos in Germania constitutorum edidit, recenset, atque eas à Bonifacio IX, magnîs additîs indulgentiîs confirmatas; & ex libro quopiam Revelationum S. Brigittæ, sequentia desumpsisse testatur: nimirum.

Cùm

Cùm honesta & sancta hæc mulier Brigitta, perdiu scire desiderasset numerum Vulnerum Domini nostri Iesu Christi, apparuit ei Dominus Iesus quadam die, dicens: Corporis mei vulnera erant 5475. quæ si veneratione aliquâ prosequi volueris 15. Pater noster, & totidem Ave Maria, dices quotidie per annum integrum, & sic annô revolutô unumquodque vulnus venerabiliter salutabis: eamque docuit insuper, ad unumquodque Pater noster, unam Orationem; adjiciens, quòd quicunq; per circulum unius anni, easdem Orationes devotè frequentaverit, de ejus progenie quindecim animæ de purgatorio liberabuntur & quindecim ejusdem genealogiæ in bono statu confirmabuntur & quindecim peccatores adhuc in mundo existentes, convertentur, & cum hoc adhuc ipse consequetur gradum perfectionis & agnitionem, & amaram cordis contritionem omnium peccatorum.

Præterea eidem addidit Dominus: qui has Orationes compleverit, dabo ei sanctissimum Corpus meum ante obitum ejus XV. die, ut per hoc liberetur ab æterna esurie; & pretioso sangvine potabo eum, nè sitiat in æternum, signumque victoriossimæ Crucis ponam ante eum in subsidium contra omnes inimicos, & ante ejus obitum veniam ad eum cum dilecta Genitrice mea

Virgine

Virgine Maria, ad animam ejus benignè suscipiendam, & ducam eam ad æterna gaudia, & cum illam illuc perduxero, propinabo illi singularem haustum de fonte & calice Deitatis meæ.

Impressæ sunt hæ orationes variîs idiomatibûs sæpissimè, extantque etiam in vetustissimô libello precatorio, Hortulus animæ, dicto, ubi ad reliqua privilegia etiam hoc à Domino datum scribitur, ei, quicunque in agone mortis positus, votô se Deo obstrinxerit ad Orationes has diebûs singulîs per annum unum integrum recitandas, idque postea opere ipsô impleverit, ad vitam ejus adhuc 15. annos adjectum iri.

ORATIO I.

O IESU Christe, æterna dulcedo te amantium, jubilus excedens omne gaudium & omne desiderium, salus & amator peccatorum, qui delicias tuas testatus es, esse cum filijs hominum: propter hominem Homo factus in fine temporum, Memento omnis præmeditationis & intimi mæroris, quem in corpore humano sustinuisti instante saluberrimæ passionis tuæ tempore, in Divino corde præordinato. Memento tristitiæ, & amaritudinis, quam in anima (te ipso attestante) habuisti quando in ultima cœna Discipulis tuis corpus & sangvinem tuum tra-

didiſti, pedes eorum laviſti, & dulciter eos oſculando, imminentem paſſionem prædixiſti. Memento omnis timoris, anguſtiæ & doloris, quem in tuo corpore delicato ante paſſionem crucis tuæ pertulſti, quando poſt tertiam orationem & ſanguineum ſudorem à Iuda diſcipulo tuo tradebaris, ab electa gente capiebaris, à falſis teſtibus accuſabaris, à tribus judicibus injuſtè judicabaris, in electa civitate, in paſchali tempore, in florida corporis juventute innocenter damnabaris, veſte propriâ exuebaris, & veſtibûs alienîs induebaris, colaphizabaris, oculîs & facie velabaris, alapîs cædebaris, ad columnam ligabaris, flagellabaris, ſpinîs coronabaris, arundine in capite feriebaris & innumerabilibûs aliîs calumniis lacerabaris. Da Domine DEUS mihi; quæſo ob memoriam harum ante crucem tuam paſſionum, veram ante mortem meam contritionem, ſpuram confeſſionem, dignam ſatisfactionem, ac omnium peccatorum meorum remiſſionem, Amen.

Pater noſter Ave Maria &c.

ORATIO II.

O IESU vera libertas Angelorum paradiſus deliciarum, memento mæroris & horroris, quos ſuſtinebas, cùm omnes inimici tui, quaſi Leones ferociſſimi, te circumſteterunt, & colaphizationibûs

nibûs, confputationibûs, ungulationibûs, cæterîsque pænîs inauditîs te molestave-runt. Per has pœnas, & per omnia contu-meliosa verba, durissimaque tormenta quibus Te Domine IESU Christe, omnes inimici tui affixerunt, deprecor te, ut liberes me ab omnibus inimicis meis visibilibus & in-visibilibus, & dones mihi sub umbra ala-rum tuarum ad perfectionem salutis æ-ternæ pervenire, Amen.

Pater noster. Ave Maria &c.

ORATIO III.

O IESU mundi fabricator, quem nulla dimensio verô terminô metitur, qui terram palmâ concludis, recordare amarissimi doloris, quem sustinebas, cùm judæi sanctissimas manus tuas ad crucem obtusîs clavîs primò affixerunt; & ad per-forandum delicatissimos pedes tuos (cum factis in cruce foraminibus, corporis tui statura minùs esset conveniens) dolorem super dolorem vulneribus tuis addiderunt, & sic crudeliter te distraxerunt, & exten-derunt in longum & latum crucis tuæ, ut dissolverentur compages membrorum tu-orum. Deprecor te, per hujusmodi sa-cratissimi amarissimique in cruce doloris memoriam, ut des mihi timorem & amo-rem tuum, Amen.

Pater noster. Ave Maria &c.

ORATIO IV.

O IESU

O Iesu Cœleſtis Medice, recordare languoris, livoris, & doloris quos in alto crucis patibulo levatus, paſſus es, in omnibus dilaceratis membris tuis, quorum nullum in ſtatu ſuo rectè permanſerat ita, ut nullus dolor dolori tuo ſimilis inveniretur, quia à planta pedis usque ad verticem capitis in te non fuit ſanitas, & tamen omnium dolorum immemor, Patrem pro inimicis piè orâſti, dicens: Pater ignoſce illis quia neſciunt quid faciunt. Per hanc miſericordiam, & ob memoriam illius doloris concede, ut hæc memoria paſſionis tuæ amariſſimæ ſit omnium peccatorum meórum plena remiſſio, Amen.

Pater noſter. Ave Maria &c.

ORATIO V.

O Iesu ſpeculum claritatis æternæ, memento illius mæroris quem habuiſti quando in ſpeculo ſereniſſimæ Majeſtatis tuæ conſpexiſti prædeſtinationem electorum, per merita tuæ paſſionis ſalvandorum, & reprobationem malorum per ſua demerita damnandorum. Et per abyſſum miſerationis tuæ, quâ nobis perditis peccatoribus, & deſperatis tunc condoluiſti, & quam Latroni in cruce exhibuiſti dicens: Hodie mecum eris in paradiſo. Rogo te pie Iesu, facias mecum miſericordiam tuam in hora mortis meæ, Amen.

Pater

Pater noster. Ave Maria &c.

ORATIO VI

O Iesu Rex amabilis, Amice totus desiderabilis, memento illius mæroris quem habuisti; quando nudus & miserabilis in cruce pependisti; & omnes amici & noti tui advesùm te steterunt: & nullum consolantem inveniebas, nisi solam dilectam Genitricem tuam, in amaritudine Animæ tuæ tibi fidelissimè adstantem videbas quam discipulo tuo commendasti, dicens: Ecce Mater tua. Rogo te pie Iesu, per gladium doloris, qui tunc ejus animam pertransivit, ut compatiaris mihi in omnibus tribulationibus, & afflictionibus meis corporalibus, & spiritualibus, & des mihi consolationem in tempore tribulationis, & in hora mortis meæ, Amen.

Pater noster. Ave Maria &c.

ORATIO. VII.

O Iesu fons inexhaustæ pietatis qui ex intimo affectu in cruce dixisti: Sitio (scilicet salutem generis humani) accende quæsumus, cordium nostrum desideria ad omne opus perfectum, & sitim carnalis concupiscentiæ, & æstum mundanæ delectationis, in nobis penitus refrigera & extingue, Amen.

Pater noster. Ave Maria &c.

ORATIO VIII.

O Iesu dulcedo cordium, ingensque suavitas

vitas mentium, per amaritudinem aceti & fellis, quam pro nobis deguſtaſti, in hora mortis meæ concede mihi corpus & ſanguinem tuum dignè percipere, ad remedium, & conſolationem animæ meæ, Amen.

Pater noſter. Ave Maria &c.

ORATIO IX.

O IESU regalis Virtus, jubilusque mentis memento anguſtiæ, & doloris, quem paſſus es quando præ mortis amaritudine & Iudæorum inſultatione, cum magna voce te à DEO Patre derelictum clamâſti, dicens: DEUS meus; DEUS meus, ut quid me dereliquiſti, per hanc anguſtiam, peto à te, ut in anguſtiis meis non derelinquas me Domine DEUS noſter, Amen.

Pater noſter. Ave Maria &c.

ORATIO X.

O IESU Alpha, & Omega, Virtus & Vita in omni tempore, recordare, quòd à ſummo, capitis, uſque ad plantam pedis, Te pro nobis in aquam paſſionis tuæ demerſiſti. Propter latitudinem, & longitudinem vulnerum tuorum doce me in peccatis demerſum, per veram charitatem cuſtodire latum mandatum tuum nimis, Amen.

Pater noſter. Ave Maria &c.

ORATIO XI

O IESU, abyſſus profundiſſima Miſeri-

cordiæ, rogo te propter profunditatem vulnerum tuorum, quæ pertransierunt medullam ossium, ac viscerum tuorum, ut me submersum in peccatis ex iisdem extrahas abscondasque in foraminibus vulnerum tuorum à facie iræ tuæ donec pertranseat furor tuus Domine, Amen.

Pater noster. Ave Maria &c.

ORATIO XII.

O Iesu veritatis Speculum, signum unitatis, Charitatisq; vinculum, memento multitudinis, innumerabilium vulnerum tuorum: quibus à Sanctissimo Sanguine tuo rubricatus quam magnitudinem doloris in Virginea carne tua pertulisti pro nobis. Pie Iesu, quid ultra debuisti facere, & non fecisti; scribe quæso, pie Iesu omnia vulnera tua, in corde meo, pretiosissimô sanguine tuô, ut in illis legam dolorem tuum, & mortem, & in gratiarum actione usque in finem jugiter perseverem, Amen

Pater noster. Ave Maria. &c.

ORATIO XIII.

O Iesu Leo fortissime, Rex immortalis, & invictissime, memento doloris quē passus es cùm omnes vires; cordis & corporis tui tibi penitus defecerunt, & inclinatô capite, consummatum est, dixisti. Per hanc angustiam & dolorem miserere mei in ultima consumatione exitûs mei, cùm anima mea anxia fuerit, & spiritus meus conturbatus, Amen. *Pater.*

Pater noster. & Ave Maria &c.

ORATIO XIV.

O IESU Unigenite Altissimi, Patris splendor, & figura substantiæ ejus: memento obnixæ commendationis, quâ Patri Spiritum comendasti, dicens: In manus tuas Domine commendo Spiritum meum, & laceratô corpore, & ruptô corde cum valido clamore, patefactîs visceribûs misericordiæ tuæ, pro nobis redimendis expirasti. Per hanc pretiosissimam mortem, precor te, Rex Sanctorum, conforta me ad resistendum diabolo, mundo, carni, sanguini & in novissima hora exitûs mei, suscipe ad te revertentem spiritum meum exulem & peregrinum, Amen.

Pater noster. & Ave Maria &c.

ORATIO XV.

O IESU Vitis vera & fæcunda: memento supereffluentis, & abundantis effusionis sanguinis, quem tu sicut de botro expressum copiosissimè effudisti, quando in cruce torcular solus calcasti, & lanceâ militari, perfossô latere nobis sanguinem & aquā propinasti, ita ut minima gutta in te non remaneret, & demum quasi mirrhæ fasciculus in altum suspensus fuisti, & delicata caro tua evanuit, liquor viscerum tuorum exaruit, Per hanc amarissimam passionem & pretiosi Sanguinis effusionem Pie IESU, precor te, suscipe animam meam in agone mortis meæ, Amen.

Pater noster. & Ave Maria &c

PERORATIO.

O Dulcis Iesu, vulnera cor meum, ut pœnitentiæ & amoris lachrymæ, ſint mihi panes die ac nocte. Et converte me totaliter ad te, ut cor meum perpetuò fiat tibi habitabile, & converſatio mea tibi ſit placita, & accepta ac finis vitæ meæ ita laudabilis, ut poſt hujus vitæ terminum, merear te laudare cum omnibus ſanctis in æternum, Amen.

O Domine Iesu Chriſte, Fili DEI Vivi, ſuſcipe has Orationes in amore illo ſuperexcellenti, in quo omnia vulnera tui Sacratiſſimi Corporis ſuſtinuiſti. Miſerere mei, famuli tui, & omnibus peccatoribus cunctiſque fidelibus, tam vivis, quàm defunctis, da miſericordiam, gratiam, & remiſſionem, & vitam æternam, Amen.

OFFICIUM
De Immaculata Conceptione. *BEATISSIMÆ VIRGINIS* MARIÆ.

HOc Officium ad affectus ſuaviſſimos in animis legentium concitandos peridoneū, quàm gratum ſit Beatæ Virgini, ipſa Alphonſo Rodriquez Societatis JESU Religioſo miracu- *lis*

lìs in vita, & post mortem claro indicavit, cui Officium hoc recitanti sæpiùs apparuit, & ut typîs evulgandum curaret, in mandatis dedit, sic in ejus vita. Approbatum est à Paulo V. qui ad perpetuam rei memoriam concessit omnibus Christi fidelibus idem Officium cum oratione de Immaculata Conceptione piè recitantibus 100. *dierum indulgentias, ut patet ex Brevi expresso Dato Romæ ad S. MARIAM Majorem*, VI. Idus Iulii. M. DC XV.

AD MATUTINUM.

Eja mea labia nunc annunciate,
Laudes & præconia Viginis Beatæ.
Domina in adjutorium meum intende,
Me de manu hostium potenter defende.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui S.
Sicut erat in principio, &c.

Hymnus.

SAlve mundi Domina,
Cœlorum Regina,
Salve Virgo Virginum,
Stella matutina.
Save plena gratiâ,
Clara lux divina,
Mundi in auxilium;
Domina festina,
Ab æterno Dominus.
Te præordinavit,
Matrem Unigeniti
Verbi quo creavit.
Terram, pontum, æthera,

Te pulchram ornavit,
Sibi ſponſam, ut in quæ,
Adam non peccavit.
Elegit eam Deus, & præelegit eam,
Et in tabernaculo ſuo habitare fecit eam.
Domina exaudi orationem meam,
Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

SAncta MARIA Regina Cœlorum Mater Domini noſtri Ieſu Chriſti, & mundi Domina, quæ nullum derelinquis, & nullum deſpicis; reſpice me Domina clementer oculo pietatis, & impetra mihi apud dilectum Filium Tuum cunctorum veniam peccatorum, ut qui nunc Tuam ſanctam Conceptionem devotô affectu recolo, æternæ in futurum beatitudinis bravium capiam, Ipſô, quem Virgo peperiſti, donante Dominô noſtrô Ieſu Chriſtô: qui cum Patre, & Sancto Spiritu vivit, & regnat in Trinitate perfecta Deus in ſæcula ſæculorum, A.
Domina exaudi orationem meam,
Et clamor meus ad te veniat.
Benedicamus Domino, Deo gratias.
Et Fidelium animæ per miſericordiam Dei requieſcant in pace, Amen.

AD PRIMAM.

Domina in adjutorium meum intende,
Me de manu hoſtium potenter defende.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui, &c.

Hymnus.

Hymnus.

SAlve Virgo ſapiens,
Domus Deo grata,
Columnâ ſeptemplici,
Menſâque exornata,
Ab omni contagio
Mundi præſervata,
Ante ſancta in utero
Parentis, quàm nata.
Tu Mater viventium,
Et porta es Sanctorum,
Nova ſtella ex Iacob,
Domina Angelorum.
Zabulo terribilis,
Acies Caſtrorum,
Portus & refugium,
Sis Chriſtianorum.
Ipſe creavit eam in Spiritu Sancto,
Et effudit illam ſuper omnia opera ſua.
Domina exaudi orationem meam,
Et clamor meus ad te veniat.
Oratio ut ſupra, S. Maria Regina &c.

AD TERTIAM.

Domina in adjutorium meum intende,
Me de manu hoſtium potenter defende.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui, &c.

Hymnus.

SAlve Arca fœderis,
Thronus Salomonis,
Arcus pulcher ætheris,
Rubus viſionis.

Virga frondens germinis,
Vellus Gedeonis,
Porta clausa Numinis,
Et favus Samsonis.
Decebat tam nobilem,
Natum præcavere,
Te ab originali,
Labe Matris Evæ.
Almam quam elegerat,
Genitricem verè,
Nulli prorsus patiens,
Culpæ subjacere.
Ego in altissimo habito,
Et thronus meus in columna nubis.
Domina exaudi orationem meam,
Et clamor meus ad te veniat.
Oratio ut supra. S. Maria Regina, &c.

AD SEXTAM

Domina in adjutorium meum intende.
Me de manu hostium potenter defende.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui &c.

Hymnus.

SAlve, o puerpera,
Templum Trinitatis,
Angelorum gaudium,
Cella puritatis.
Solamen mœrentium,
Hortus voluptatis,
Palma patientiæ,
Cedrus castitatis.
Terra es benedicta,

Et

Et Sacerdotalis,
Sancta, atque immunis,
Culpæ originalis.
Civitas Altissimi,
Porta Orientalis,
In te est omnis gratia,
Virgo singularis.
Sicut lilium inter spinas,
Sic amica mea inter filias Adæ.
Domina exaudi orationem meam,
Et clamor meus ad te veniat.
Oratio ut supra, S.ª Maria Regina, &c.

AD NONAM.

Domina in adjutorium meum intende,
Me de manu hostium potenter defende.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui, &c.

Hymnus.

SAlve urbs refugii,
Turrisque munita
David propugnaculîs,
Armîsque insignita.
Tu in Conceptione,
Charitate ignita,
Infernalis potestas,
Est à Te contrita.
Eja mulier fortis,
Et invicta Iudith,
Pulchra Abisai Virgo,
Verum fovens David.
Rachel procuratorem,
Ægypti gestavit,

Sed Salvatorem mundi,
MARIA portavit.
Tota pulchra es amica mea,
Et macula originalis nunquam fuit in Te;
Domina exaudi orationem meam,
Et clamor meus ad te veniat.
Oratio ut supra, S. Maria Regina, &c.

AD VESPERAS

Domina in adjutorium meum intende;
Me de manu hostium potenter defende.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui, &c.

Hymnus.

SAlve Horologium,
Quô retrostrahatur,
Sol in decem lineis;
Verbum Incarnatur,
Homo ut ab inferis,
Ad summa tollatur,
Immensus ab Angelis;
Paulò minoratur.
Solis hujus radiîs,
MARIA coruscat,
Et consurgens Aurora;
In conceptu micat.
Lilium inter spinas,
Quæ serpentis terat,
Caput pulchra ut Luna;
Errantes collustrat.
Ego feci in Cœlis, ut oriretur lumen indeficiens.
Et quasi nebula texi omnem terram.
Domina exaudi orationem meam.

Et clamor meus ad te veniat.

Oratio ut supra, S. Maria, &c.

AD COMPLETORIUM.

Convertat nos Domina tuîs precibûs placatus Iesus Christus Filius tuus.

Et avertat iram suam à nobis.

Domina in adjutorium meum intende.

Me de manu hostium potenter defende:

Gloria Patri, & Filio, &c.

Hymnus.

SAlve Virgo nobilis,
Mater illibata,
Regina clementiæ,
Stellîs coronata.
Supra omnes Angelos,
Pura immaculata,
Atque ad Regis dexteram,
Stans veste inauratâ.
Per te Mater gratiæ,
Dulcis spes reorum;
Refulgens stella maris;
Portus naufragorm.
Patens Cœli janua,
Salus infirmorum;
Videamus Triadem,
In aula Sanctorum.

Oleum effusum Maria Nomen tuum.

Servi Tui dilexerunt te nimis.

Domina exaudi orationem meam,

Et clamor meus ad te veniat.

Oratio ut supra, S. Maria, &c.

Commendatio.

Supplices offerimus,
Tibi Virgo pia,
Has horas Canonicas,
Fac, nos ut in via,
Ducas curſu proſpero,
Et in agonia,
Præſens nobis aſſiſte,
O dulcis Maria.

Hæc eſt Virga, in qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpæ fuit.
S. Ambroſius.

In Conceptione Tua Virgo Immaculata fuiſti.
Ora pro nobis Patrem, cujus Filium peperiſti.

OREMUS.

DEus qui per Immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio Tuo habitaculum præparaſti, quæſumus ut ſicut ex morte ejusdem Filii Tui prævila, eam ab omni labe præſervaſti, ita nos quoque mundos ejus interceſſione ad Te pervenire concedas. Per eundem Dominum noſtrum Iesum Chriſtum Filium Tuum qui tecum vivit, & regnat &c,

LITA-

LITANIÆ
DE BEATA
MARIA
VIRGINE.

KYrie eleyſon, Chriſte eleyſon. Kyrie eleyſon.
Chriſte audi nos, Chriſte exaudi nos.
Pater de Cœlis DEUS, Miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi DEUS, Miſerere.
Spiritus Sancte DEUS, Miſerere nobis.
Sancta TRINITAS unus DEUS, Miſerere
Sancta MARIA, Ora pro nobis.
Sancta DEI Genitrix, Ora pro nobis.
Sancta Virgo Virginum, Ora pro nobis.
Mater CHRISTI, Ora pro nobis.
Mater Divinæ gratiæ, Ora pro nobis.
Mater puriſſima, Ora pro nobis.
Mater caſtiſſima, Ora pro nobis.
Mater inviolata, Ora pro nobis.
Mater intemerata. Ora pro nobis.
Mater amabilis, Ora pro nobis.
Mater admirabilis, Ora pro nobis.
Mater Creatoris, Ora pro nobis.
Mater Salvatoris, Ora pro nobis.
Virgo prudentiſſima, Ora pro nobis.
Virgo veneranda, Ora pro nobis.
Virgo prædicanda, Ora pro nobis.
Virgo potens, Ora pro nobis.
Virgo clemens, Ora pro nobis.

Virgo fidelis, Ora pro nobis.
Speculum juſtitiæ, Ora pro nobis.
Sedes ſapientiæ, Ora pro nobis.
Cauſa noſtræ lætitiæ, Ora pro nobis.
Vas ſpirituale, Ora pro nobis.
Vas honorabile, Ora pro nobis.
Vas inſigne devotionis, Ora pro nobis.
Roſa myſtica, Ora pro nobis.
Turris Davidica, Ora pro nobis.
Turris eburnea, Ora pro nobis.
Domus aurea; Ora pro nobis.
Fœderis arca, Ora pro nobis.
Janua Cœli, Ora pro nobis.
Stella matutina, Ora pro nobis.
Salus infirmorum, Ora pro nobis.
Refugium peccatorum, Ora pro nobis.
Conſolatrix afflictorum, Ora pro nobis.
Auxilium Chriſtianorum, Ora pro nobis.
Regina Angelorum, Ora pro nobis.
Regina Patriarcharum, Ora pro nobis.
Regina Prophetarum, Ora pro nobis.
Regina Apoſtolorum, Ora pro nobis.
Regina Martyrum, Ora pro nobis.
Regina Confeſſorum, Ora pro nobis.
Regina Virginum, Ora pro nobis.
Regina Sanctorum Omniū, Ora pro nobis.
Regina Regni Poloniæ, Ora pro nobis.
Agnus DEI qui tollis peccata mundi,
Parce nobis Domine.
Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, &c.
Pater noſter, Ave MARIA, &c.

Sub

Sub Tuum præsidium confugimus Sancta DEI Genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, sed à periculis cunctis libera nos semper Virgo gloriosa, & benedicta: Domina nostra, Mediatrix nostra, Advocata nostra, Tuo Filio nos commenda, Tuo Filio nos reconcilia Tuo Filio nos repræsenta.

Ora pro nobis Sancta DEI Genitrix.

Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

DEfende quæsumus Domine Beatâ MARIA, semper Virgine intercedente istam ab omni adversitate familiam, & totô corde tibi prostratam ab hostium propitius tuere clementer insidiis. Per Christum Dominum nostrum, &c.

Commendatio sui ipsius B. Virgini MARIÆ.

O Domina mea Sancta MARIA, meam tuam benedictam fidem ac singularem custodiam, & in sinum misericordiæ tuæ hodie, & quotidie & in hora exitûs mei, animam meam & corpus meum tibi commendo: omnem spem & consolationem meam, omnes angustias, & miserias meas, vitam & finem vitæ meæ tibi committo ut per tuam sanctissimam intercessionem, & per tua merita, omnia mea dirigantur & disponantur opera secundùm tuam, tuique Filii voluntatem, Amen.

SALU-

SALUTATIO

Brevis, Beatæ Virginis.

MARIÆ.

AVe MARIA, Ancilla Sanctissimæ Trinitatis humillima.

Ave MARIA, Præelecta DEI Patris Sanctissima.

Ave MARIA, Sponsa Spiritûs Sancti amabilissima.

Ave MARIA, soror Angelorum pulcherrima.

Ave MARIA, Mater Domini nostri Iesu Christi dignissima.

Ave MARIA, promissio Prophetarum desideratissima.

Ave MARIA, Regina Patriarcharum gloriosissima.

Ave MARIA, Magistra Evangelistarum veracissima.

Ave MARIA, Doctrix Apostolorum Prudentissima.

Ave MARIA, consolatrix Martyrum validissima.

Ave MARIA, fons & plenitudo Confessorum suavissima.

Ave MARIA, decus & Corona Virginum jucundissima.

Ave MARIA, salus & consolatrix vivorum & mortuorum promptissima. Mecum sis in

omni;

omnibus tentationibus, tribulationibus, necessitatibus, anguſtiis, & infirmitatib9 meis & maximè in hora mortis meæ, non deſis mihi & impetra, mihi omnium peccatorum meorum veniam, cœleſtis patriæ gloriam, Amen.

AVe Sanctiſſima MARIA, Mater Dei, Regina Cœli, Porta Paradiſi, Domina mundi, Tu es ſingularis Virgo pura, Tu concepiſti Ieſum ſinè peccato. Tu peperiſti Creatorem, & Salvatorem mundi. Ora pro nobis Ieſum dilectum Filium Tuum, ut liberet nos ab omnibus malis, Am.

ORATIO.

O Domina noſtra, mediatrix noſtra, advocata noſtra, Tuo Filio nos commenda, Tuo Filio nos repræſenta. Fac ô benedicta, per gratiam, quam meruiſti, per miſericordiam, quam peperiſti; ut qui te mediante dignatus eſt fieri particeps infirmitatis & miſeriæ noſtræ, te quoque intercedente, participes nos faciat beatitudinis & gloriæ ſuæ Ieſus Chriſtus Filius tuus Dominus noſter, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula ſæculorum, Amen.

HYMNUS

De Septem Gaudiis, B. Virginis MARIÆ.

GAude Virgo Mater Chriſti,
Quia Ieſum concepiſti,
Gabriele nuntiô. Ergo

Ergo Mater, fac ſalvemur,
Nam quòd Matrem te fatemur,
Noſtra ſalùs ratio. *Ave Maria.*

II. *Gaudium.*

Gaude Mater Deo plena,
Novô gignens, ſinè pœna,
Fœtum puerperiô.
Eja Virgo Peramœna,
Caſtô Natum mens ſerena,
Stringat deſideriô. *Ave Maria.*

III. *Gaudium.*

Gaude quòd ab Oriente,
Magi, ſtellâ præcedente,
Dona ferunt Filio.
Fac donemur pietate,
Fide, ſpe, cum charitate,
Pudoriſque liliô. *Ave Maria.*

IV. *Gaudium.*

Gaude quia dulcis nati.
Quem videbas mortem pati,
Fulget Reſurectio.
Fac ab imo vitiorum,
Surgat mens, & ſupernorum,
Guſtum ſperet actio. *Ave Maria.*

V. *Gaudium.*

Gaude Cœlos aſcendente,
Natô, vides quem repente,
Ferri motu proprio.
Via vitæ reſtituta,

Quam post Natum tu secuta,
Fac sequamur seriò. *Ave Maria.*

VI. *Gaudium*

Gaude quia Paracletus,
Missus Cœlo, novus fœtus,
Igne format Entheô.
Igne sacri nos amoris,
Fac accendi, ne laboris,
Capiamur tædiô. *Ave Maria.*

VII. *Gaudium.*

Gaude quæ post Christum scandis,
Astra Cœli, esque grandis,
Filii consortiô.
O fac fructu ventris Tui,
Per te nobis detur frui,
In perenni gaudio. *Ave Maria.*

Oratio.

DEus qui Beatissimam Virginem MARIAM, in conceptu & partu dilecti Filii Tui, virginitate servatâ, duplici gaudio lætificâsti: quique ejus gaudia, eodem Filio Tuo à mortuis resurgente, & ad Cœlos ascendente multiplicasti: tribue quæsumus, ut ad illud ineffabile gaudium quo te-cum assumpta gaudet in Cœlis, ejus meritîs & precibûs pervenire mereamur: Per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

Hymnus

HYMNUS.

De Septem Doloribus B. Virginis MARIÆ.

I. *Dolor.*

AVe dulcis Mater Christi,
Quæ cor Tuum gladiô,
Transfigendum discis tristi,
Senis vaticiniô.
Tanti memor fac doloris,
Mihi sis præsidio,
Ut post vallem hanc mœroris,
Cœli reddar gaudio. *Ave Maria.*

II. *Dolor.*

Ave dulcis Mater Christi,
Quæ præ Regis furia,
Sævientis cæde tristi,
Fugis exul patriâ,
O Regina Beatorum,
Nostri spes eximii,
Fac infractus ut malorum,
Fiam consors Filii. *Ave Maria.*

III. *Dolor.*

Ave dulcis Mater Christi,
Natum lugens inclytum,
O quàm tristis quæsivisti,
Triduô jam perditum,
Hujus memor ô doloris!
Christum fac inveniam,
Et inventum per amoris,
Nexum semper teneam. *Ave Maria.*

IV.

IV. *Dolor.*

Ave dulcis Mater Christi;
Quæ dilectum Filium,
Capi, cædi, flens vidisti,
Manibûs crudelium.
O! per pœnas patientis,
Nobis sit impunitas,
Per amorem condolentis,
Matris, crescat charitas. *Ave Maria.*

V. *Dolor.*

Ave dulcis Mater Christi,
Quæ sub crucis arbore,
Gemens, Natum morte tristi,
Videns heu! succumbere.
O! per ensem hunc doloris,
Qui tunc scidit animam,
Fac me firmet vis amoris,
Mortis ad victoriam. *Ave Maria.*

VI. *Dolor.*

Ave dulcis Mater Christi,
Quæ de Cruce mortuum,
Ulnîs Natum suscepisti,
Madens undâ fletuum.
Eja præstet vis doloris,
Mater plena gratiæ,
Ut supremîs server horîs,
Gremiô clementiæ. *Ave Maria.*

VII. *Dolor.*

Ave dulcis Mater Chrsti,
Quæ sepulchrô conditum,

Plangis

Plangis natum, heu quàm trifti,
Mente volvens abitum!
In virtute tot dolorum,
Quos tulifti fortiter,
Omnem contra vim malorum,
Stare nos viriliter.
Demum forte Beatorum,
Fac gaudere jugiter. *Ave Maria.*

Oratio.

O Domina mea dulciffima, vifceribûs mifericordiæ plena, per hos feptem dolores tuos fuccurre mihi mifero peccatori, antequâm mors fubitanea & improvifa superveniat: ne fubitò; & imparatus de hoc mundo tranfeam. Ora pro me MARIA Virgo Benedicta, ob Unigeniti Filij Tui Domini noftri IESU Chrifti mortem amariffimam, ut peccati deteftatione, & operum diaboli abrenunciatione, verâ contritione, purâ & humili confeffione, pœnitentiâ & fatisfactione, dignâ Dei acceptione, & proximi dilectione Filio Tuo reconciliatus, de hoc mundo tranfeam. Impetra mihi mifericordiam, o Beata Virgo Mater Dei, in illa hora tremenda, quando fpiritus vitales deficient, & mortua lingua movere fe non poterit ad invocandum Té, neq; oculi mei lucem capere poterunt, auresque meæ nulli voci patefcent. Memor efto tunc, ô MARIA, precum quas nunc fundo ad aures Tuæ pietatis, & fubveni mihi in illa ultima hora neceffitatis meæ,

ut

ut liberer à ministris diaboli, & collocer cum Christi Filii Tui fidelibus servis & amicis, Amen.

HYMNUS.

DE BEATISSIMA VIRGINE MARIA.

Mirè devotus, quem Sanctus Casimirus Princeps, Filius Casimiri Jagellonis Poloni Regis, & Elisabethæ Austriacæ, Filiæ Alberti II Cæsaris, Vilnæ annô Domini 1489. 4. Martii defunctus, & à Leone X. P. M. in Sanctorum Catalogum relatus, & composuit ipse, & quotidie recitare solitus fuit, tantâq; devotione coluit, ut etiam sepeliri secum voluerit, prout annô 1614. quando Sancti illius sepulchrum renovabatur, sub ejus dextro capitis tempore repertus fuit intactus in signum acceptæ DEO, & DEIparæ pietatis,

PARS PRIMA.

OMni die dic MARIÆ,
Mea laudes anima,
Ejus festa, ejus gesta,
Cole devotissima:
Contemplare & mirare,
Ejus celsitudinem,
Dic felicem, Genitricem,
Dic Beatam Virginem.
Ipsam cole, ut de mole,
Criminum Te liberet,

Hanc-

Hanc appella, ne procella,
Vitiorum ſuperet.
Hæc perſona, nobis dona,
Contulit cœleſtia,
Hæc Regina, nos divinâ,
Illuſtravit gratiâ.
Lingua mea, dic trophæa,
Virginis puerperæ,
Quæ inflictum maledictum,
Mirô transfert germine.
Sinè fine dic Reginæ
Mundi, laudum cantica,
Ejus bona ſemper sona,
Semper illa prædica.
Omnes mei ſenſus Ei,
Perſonate gloriam,
Frequentate tam beatæ,
Virginis memoriam.
Nullus certè tam diſertæ,
Extat eloquentiæ,
Qui condignos promat hymnos,
Ejus excellentiæ.
Omnes laudent, unde gaudent,
Matrem DEI Virginem,
Nullus fingat, quòd attingat,
Ejus celſitudinem.
Sed neceſſe, quod prodeſſe,
Piis conſtat mentibus,
Ut intendam, quod impendam,
Me ipſius laudibus.
Quamvis ſciam, quod MARIAM,
Nemo dignè prædicet,

Tamen

Tamen vanus, & insanus;
Est, qui illam reticet.
Cujus vita erudita,
Disciplinâ Cœlicâ,
Argumenta, & figmenta;
Destruxit hæretica.
Hujus mores tanquam flores;
Exornant Ecclesiam,
Actiones & sermones,
Miram præstant gratiam.
Evæ crimen nobis limen,
Paradisi clauserat,
Hæc cum credit, & obedit;
Cœli claustra reserat.
Propter Evam, homo sævam;
Accepit sententiam,
Per MARIAM, habet viam;
Quæ ducit ad Patriam,
Hæc amanda, & laudanda;
Cunctis specialiter,
Venerari, prædicari,
Eam decet jugiter.
Ipsa donet, ut quod monet;
Natus ejus faciam,
Ut finitâ carnis vitâ,
Lætus hanc aspiciam.

PARS SECUNDA.

O Cunctarum fœminarum;
Decus atque gloria,
Quam electam, & evectam;
Scimus super omnia,

Clemens audi, tuæ laudi,
Quos instantes conspicis,
Munda reos, & fac eos,
Donîs dignos cœlicîs.
Virga Jesse, spes oppressæ,
Mentis, & refugium,
Decus mundi, lux profundi;
Domini sacrarium.
Vitæ forma, morum norma,
Plenitudo gloriæ,
Dei Templum, & exemplum;
Totius justitiæ.
Virgo salve, per quam valvæ,
Cœli patent miseris,
Quam non flexit, nec allexit;
Fraus serpentis veteris.
Generosa, & formosa,
David Regis Filia,
Quam elegit, Rex qui regit;
Et creavit omnia.
Gemma decens, rosa recens,
Castitatis lilium,
Castum chorum ad polorum;
Quæ perducis gaudium.
Actionis, & sermonis,
Facultatem tribue,
Ut tuorum meritorum;
Laudes promam strenuè.
Opto nimis, ut imprimis,
Des mihi memoriam,
Ut decenter, & frequenter,
Tuam cantem gloriam.

Quamvis muta, & polluta;
 Mea ſciam labia,
 Præſumendum, nec ſilendum;
 Eſt de Tua gloria.
Virgo gaude, omnî laude,
 Digna, & præconiô,
 Quæ damnatis, libertatis;
 Facta es occaſio.
Semper munda, & fœcunda;
 Virgo tu puerpera,
 Mater alma, velut palma;
 Florens, & fructifera.
Ejus flore, & decore,
 Recreari cupimus,
 Cujus fructu nos à luctu;
 Liberari credimus.
Pulchra tota, ſinè nota,
 Cujuscunque maculæ,
 Fac nos mundos, & jucundos;
 Te laudare ſeduló.
O beata! per quam data,
 Nova mundo gaudia,
 Et aperta, fide certâ,
 Regna ſunt cœleſtia.
Per Te mundus, lætabundus;
 Novô fulget lumine,
 Antiquarum tenebrarum!
 Exutus caligine.
Nunc potentes ſunt egentes;
 Sicut olim dixeras,
 Et egeni fiunt pleni,
 Ut tu prophetaveras.

Per Te morum nunc pravorum;
Relinquuntur devia,
Doctrinarum perversarum,
Pulsa sunt præstigia.
Mundi luxus, atque fluxus,
Docuisti spernere,
DEUM quæri, carnem teri;
Vitiis resistere.
Mentis cursum, tendi sursum;
Pietatis studiô,
Corpus angi, motus frangi,
Pro cælesti præmio.
Tu portasti, inter casti,
Ventris claustra Dominum,
Redemptorem, ad honorem,
Nos reformans pristinum.
Mater facta, sed intacta,
Genuisti Filium,
Regem Regum, atque rerum;
Creatórem omnium.
Benedicta, per quam victa,
Mortis est versutia,
Destitutis spe salutis;
Datur indulgentia.
Benedictus Rex invictus;
Cujus Mater crederis,
Qui creatus ex Te natus;
Nostri salus generis.

PARS TERTIA.

Reparatrix, Consolatrix,
Desperantis animæ,

A pressura, quæ ventura,
Malis est, nos redime.
Pro me pete, ut quiete,
Sempiterna perfruar,
Ne tormentis comburentis,
Stagni miser obruar.
Quòd requiro, quòd suspiro;
Mea sana vulnera,
Et da menti, Te pôscenti,
Gratiarum munera.
Ut sim castus, & modestus,
Dulcis, blandus, sobrius,
Pius rectus, circumspectus,
Simultatis nescius.
Eruditus, & munitus,
Divinîs eloquiîs,
Timoratus, & ornatus,
Sacrîs exercitiis,
Constans, gravis, atq; svavis,
Benignus, amabilis,
Simplex, purus, & maturus,
Patiens, & humilis.
Corde prudens, ore studens,
Veritatem dicere,
Malum nolens, DEÚM colens,
Piô semper opere.
Esto tutrix, & adjutrix,
Christiani populi.
Pacem præsta, ne molesta,
Nos perturbent sæcula.
Salutaris stella maris,
Summîs digna laudibûs,

Quæ præcellis cunctis stellis,
Atque luminaribus.
Tuâ dulci, prece fulci,
Supplices, & refove,
Quidquid gravat, veldepravat,
Mentes nostras remove.
Virgo gaude, quód de fraude,
Dæmonum nos liberas,
Dum in vera, & sincera,
DEUM carne generas.
Illibata, & dotata,
Cœlesti progenie,
Gravidata, nec privata,
Flore pudicitiæ.
Nam quod eras perseveras,
Dum intactè generas·
Illum tractans, atque lactans,
Per quem facta fueras.
Commendare, me dignare,
Christo Tuo Filio,
Ut non cadam, sed evadam,
De mundi naufragio.
Fac me mitem, pelle litem,
Compesce lasciviam·
Contra crimen, da munimen,
Et mentis constantiam.
Non me liget, nec fatiget,
Sæculi cupiditas,
Quæ indurat, & obscurat,
Mentes sibi subditas.
Nunquam ira, nunquam dira,
Me vincat elatio,

Quæ multorum fit malorum;
Frequenter occasio.
Ora Deum, ut cor meum,
Suâ servet gratiâ,
Ne antiquus inimicus,
Seminet zizania.
Da levamen, & juvamen;
Tuum illis jugiter,
Tua festa, sive gesta,
Qui colunt alacriter, Amen.

ORATIO. I.

O Præclarum vas Spiritûs Sancti, ô gloriosa Civitas Dei, ô Mulier virtutis, quæ contrivisti caput serpentis, ô sole Speciosior, Pulchrior Lunâ, stellîs Præclarior Virgo Maria: Te peccatores adimus, rea pectora tundimus, dicentes: Sancta, Sancta, & semper Immaculata Maria Clemens, & Pia, Domina nostra, nos à subitanea, & mala morte & ab omni tribulatione liberatos, fac consortes cœlestis gloriæ, Amen.

ORATIO. II.

MAter digna Dei, veniæ via, luxque diei, Sis tutela rei, duxque comesque mei. Sponsa Dei, miserere mei, lux alma diei, Digna coli, Regina poli, me linquere noli: Nixa Deum, defende reum, mihi dando trophæum, me Tibi Virgo pia, Genitrix commendo Maria, Amen.

ORATIO. III.

AVe Sanctissima Maria Mater, Dei, Re-

gina Cœli, porta Paradisi, Domina mundi. Tu es singularis Virgo, Tu concepta sinè peccato, concepisti Iesum sinè macula, & peperisti Creatorem & Salvatorem mundi, in quo ego non dubito. Ora pro me Iesum dilectum Filium Tuum, & libera me ab omnibus malis, Amen.

ORATIO. IV.

Commendatio sub protectione & custodia Beatæ Virginis MARIÆ.

SPes animæ meæ post Deum Virgo Maria, illâ commendatione & illâ fide, quâ Te dilectus Filius Tuus Dominus noster Iesus Christus præelecto discipulo suo Ioanni commendavit, commendo Tibi hodie, & quotidie, corpus meum, animam meam, honorem meum, & horam exitûs animæ meæ à corpore, omnes actus meos: ac precor Te, ut serves me à peccatis, à scandalis, ab omni confusione humana, ab ira Iudicii tremendi, ab immundis cogitationibus, ab omni mortali peccato, à subitanea & improvisa morte, ab omnibus periculis animæ & corporis, honoris, & rerum mearum, nec unquam me tale permittas facere peccatum, quo gratiam Tuam amittam. Impetra mihi de præteritis emendationem, de præsentibus custodiam, & de futuris cautelam. Da mihi in hac vita promptum adjutorium, Esto mihi in tremendo judicio prælocutrix apud Filium Tuum Dominum nostrum Iesum Christum, Amen.

ORATIO. V.

O Domina gloriæ, ô Regina lætitiæ, ô fons pietatis, vena misericordiæ, o Sanctitatis liberalitas, jucunditatis amœnitas, ô splendor Cœli, ô dulcedo Paradisi, ô Domina Angelorum, ô Sanctorum lætitia ô Virginum gemma, ô felix & beata Tibi Domina mea Virgo MARIA, hodie commendo corpus, & animam meam, & totam vitam meam, quinq; sensus corporis mei, omnia facta mea mortem meam, cùm sis benedicta in æternum & ultra, cum Filio Tuo Domino nostro IESU Christo. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto regnat, in sæcula sæculorum, Amen.

CULTUS SS. ANGELORUM,

Oratio ad Sanctum.

MICHAELEM ARCHANGELUM

SUmmæ sedis Minister: Princeps militiæ cælestis, & Signifer curiæ supernorum S. Michàél, Angele Piissime, Archangele placidissime. Tibi corpus & animam: totâ intentione, tuendam committo; tibi specialiter post DEUM & DEI Genitricem, vitæ & mortis meæ curam Commendo: te hodie & quotidie, in præsentia totius cælestis curiæ pro singulari Patrono, Protectore, &

Advocato meo eligo. Obſecro te igitur, per gloriam illam, quâ in cœlo jam frueris, ut hoc propoſitum meum, & ſincerum hunc affectum erga te meum, gratum habeas. O ſerve DEI excelſe S. MICHAEL, adeſto mihi nunc & ſemper, & maximè in fine vitæ meæ, ipſum obitum attentiùs tibi commendo: benignè me tunc conſolare, conforta & protege. Impetra mihi plenam omnium peccatorum meorum veniam, veram & profundam humilitatem, & alias virtutes omnes, effice tuîs gloriosîs precibûs, & meritîs, ut anima mea tota munda hinc exeat. Inſuper rogo te, ut in noviſſimo die benignè ſuſcipias animam meam, in ſinu tuo Sanctiſſimo, & eam comitantibûs Angelô Cuſtode meô & Angelîs tuîs ad requiem ſempiternam, cum exultatione perducas, A.

OFFICIUM
PARVUM
S. ANGELI CUSTODIS.
ORATIO.
Ante Officium dicenda.

DEus, cujus providentia humano generi ſupernorum Spirituum præſidium ſubminiſtrat, concede; ut Angelum meæ cuſtodiæ deputatum, ita valeam hîs

precibûs venerari, ut ejus protectione me-
rear ubique defendi. Per Christum Do-
minum nostrum, Amen.

AD MATUTINUM

SAncti Angeli Custodes nostri defendite nos in prælio, ut non pereamus in tremendo judicio.

Domine labia mea aperies,

Et os meum annuntiabit laudem tuam.

Deus in adjutorium meum intende,

Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto,

Sicut erat in principio & nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen. Alleluia.

Hymnus.

ADeste sancti cœlites,
Et à quiete noxia,
Mersos sopore tollite,
Deo propinquos jungite.
Per vos beati præpetes,
Phantasma noctis decidat,
Quidquid tenebris horridum,
Nox intulit culpæ, cadat.
Uni DEO sit gloria,
Decora sit laudatio,
Vestraque de præsentia,
Nobis sit exultatio.

Antiphona.

Reversus est Angelus, qui loquebatur in me; & suscitavit me sicut virum, qui suscitatur à somno suo.

V. In conspectu Angelorum psallam tibi DEUS meus.

R. Adorabo ad templum sanctum tuum & confitebor nomini tuo.

OREMUS.

DEus qui ineffabili providentiâ Sanctos Angelos tuos, ad nostram custodiam mittere dignaris, largire supplicibus tuis, & eorum semper protectione defendi, & æternâ societate gaudere. Per Dominum nostrum JEsum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

AD LAUDES.

Sancti Angeli custodes nostri &c. *ut supra.*

Deus in adjutorium meum intende,
Domine ad adjuvandum me festina,
Gloria Patri, & Filio, &c.

Hymnus.

ORbis patrator optime,
Qui quid quid est, potentiâ,
Magna creasti; nec regis,
Minore providentia.
Adesto supplicantium,
Tibi reorum cætui,
Lucisque sub crepusculum,

Lucem

Lucem novam da mentibus;
Tuúsque nobis Angelus,
Signatus ad custodiam,
Hic adsit à contagio,
Qui criminum nos protegat.
Metum propellat hostium,
Nostris procul de finibus,
Pacem procuret civium,
Fugetque pestilentiam.
Deo Patri sit gloria,
Qui quos redemit Filius,
Et Sanctus unxit Spiritus,
Per Angelos custodiat, Amen,

Antiphona.

Laudemus Dominum, quem laudant Angeli quem Cherubim, & Seraphim, Sanctum, Sanctum, Sanctum, proclamant.

℣. Ascendit fumus aromatum in conspectu Domini.

℞. De manu Angeli.

Deus qui ineffabili providentiâ. *ut supra.*

AD PRIMAM.

Sancti Angeli custodes nostri &c. *ut supra.*

Deus in adjutorium meum, &c. *ut supra,*

Hymnus.

O Gloriosi principes,
Cœli, triumphales duces,
Simul creati cum nova,
Nascentis orbis machina.

Vos invocamus supplices,
Terris famem depellite,
Sint bella, longè sit lues,
Sint prosperi vitæ dies.
Uni Deo sit gloria,
Decora sit laudatio,
Vestraque de præsentia,
Nobis sit exultatio.

Antiphona.

In conspectu gentium nolite timere, vos enim in cordibus vestris adorate, & timete DEUM: Angelus enim ejus vobiscum est.

℣. Stetit Angelus juxta aram templi,

R. Habens thuribulum aureum in manu sua.

Deus, qui ineffabili providentiâ, &c. *ut supra.*

AD TERTIAM.

Sancti Angeli custodes nostri, &c. *ut supra*

Deus in adjutorium meum intende &c. *ut supra.*

Hymnus.

HUc ô! beati Spiritus,
Adeste nobis cœlitùs,
Et nos volatu præpeti,
Inferte cœli sedibus.
Ut mox levati vinculîs;
Gravique mole corporis,
Migremus ad vos illico,
Chorô locati cœlicô.

Uni

Uni DEO ſit gloria,
Decora ſit laudatio,
Veſtraque de præſentia,
Nobis ſit exultatio.

Antiphona.

Vivit Dominus, quia cuſtodivit me Angelus ejus, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc revertentem.

V. Dominus ſit in itinere noſtro,

R. Et Angelus ejus comitetur nobiſcum.

Deus, qui ineffabili providentiâ, &c. *ut ſupra.*

AD SEXTAM.

Sancti Angeli cuſtodes noſtri &c. *ut ſupra.*

Deus in adjutorium meum intende &c. *ut ſupra.*

Hymnus.

Cives ſupernæ curiæ,
Noſtræ ſalutis vindices,
Cœleſtis oræ nuntii,
Regis ſuperni milites,
Intra Tonantis regiam,
Choros agentes pſallite,
Et nos ab orci faucibus,
Manu potenti tollite.
Uni DEO ſit gloria,
Decora ſit laudatio,
Veſtraque de præſentia,
Nobis ſit exultatatio.

Amtiphona.

Omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.

V. Benedicite Dominum omnes Angeli ejus.

R. Potentes virtute facientes verbum illius.

Deus qui ineffabili providentiâ &c. *ut supra.*

AD NONAM.

Sancti Angeli custodes nostri, &c. *ut supra.*

Deus in adjutorium meum intende &c. *ut supra.*

Hymnus.

O Principes altissimi,
DEI fideles nuntii,
Ad vos gementes tollimus,
Manus precesque fundimus.
Irâ satis nunc percitum,
Nobis tonantem flectite,
Sævire pœnîs debitîs,
Nec in reos permittite.
Uni DEO sit gloria,
Decora sit laudatio,
Vestraque de præsentia,
Nobis sit exultatio.

Antiphona.

O Dominator cœlorum, mitte Angelum tuum bonum ante nos in timore, & tre-

more

more magnitudinis brachii tui, ut metuant qui cum blasphemia veniunt adversus sanctum populum tuum.

V. Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum.

R. Et eripiet eos.

Deus, qui ineffabili providentiâ &c. *ut supra.*

AD VESPERAS

Sancti Angeli custodes nostri, &c. *ut supra.*

Deus in adjutorium meum intende &c. *ut supra.*

Hymnus.

Custodes hominum, psallimus Angelos,
Naturæ fragili, quos Pater addidit,
Cœlestis, comites insidiantibus,
Ne succumberent hostibus.

Nam quòd corruerit proditor Angelus,
Concessis meritò pulsus honoribus
Ardens invidiâ pellere moliens,
Quos cœlo DEUS advocat.

Huc custos igitur pervigil advola.
Avertens patria de tibi credita.
Tam morbos animi, quàm requiescere,
Quidquid non sinit incolas.

Sanctæ sit Triadi laus pia jugiter,
Cujus perpetuo Numine machina,
Triplex hæc regitur, cujus in omnia,
Regnat gloria, sæcula. Amen.

Antiphona.

Sancti Angeli custodes nostri, defendite nos in prælio, ut non pereamus in tremendo judicio.

V. Angelis suis Deus mandavit de te.

R. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

Deus, qui ineffabili providentiâ, &c. *ut supra.*

AD COMPLETORIUM.

Sancti Angeli custodes nostri, defendite nos, &c. *ut supra.*

Converte nos Deus salutaris noster,
Et averte iram tuam à nobis.

Deus in adjutorium meum intende &c. *ut supra.*

Hymnus.

TE lucis ante terminum,
Rerum creator poscimus;
Ut nos quiescentes, tuus,
Hac nocte servet Angelus.
Per hunc recedant somnia,
Et noctium phantasmata,
Hic supplicum victus prece,
Noctis fuget pericula.
Præsta Beata Trinitas,
Concede simplex unitas,
Ut pervigil sit pro tuis,
Missus minister servulis.

Antiphona.

Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Principatus & Potestates, Virtutes cœlo-

cœlorum, Cherubim, atque Seraphim, intercedite pro nobis, ut vigilemus cum Christo, & requiescamus in pace.

℣. Scutô circumdabit te veritas ejus.

℟. Non timebis à timore nocturno.

Deus qui ineffabili providentiâ &c. *ut supra.*

COMMENDATIO.

Has horas Angelicas cum devotione,
Tibi Christe offerimus piâ ratione;
Ut Custodis Angeli intercessione,
Sis nobis solatium mortis in agone, Amen.

ANgele DEI, qui custos es mei me tibi commissum pietate supernâ custodi, rege, & guberna, donec ad gaudia perducas æterna.

LITANIÆ

Breves de Sancto

ANGELO CUSTODE.

KYrie eleyson; Christe eleyson. Kyrie eleyson.

Christe audi nos, Christe exaudi nos.
Pater de Cœlis Deus, Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, Miserere nobis.
Spiritus Sancte Deus, Miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, Miserere nobis.
S. Maria Regina Angelorum. Ora pro nobis.
S. Angele Custos meus, Ora pro nobis.
S. Angele Princeps meus, Ora pro nobis.

S. An-

S. Angele admonitor meus,
S. Angele consultor meus,
S. Angele tutor meus,
S. Angele procurator meus,
S. Angele amator meus,
S. Angele consolator meus,
S. Angele frater meus,
Ora pro nobis.
S. Angele præceptor meus,
S. Angele pastor meus,
S. Angele testis meus,
S. Angele adjutor meus,
S. Angele vigil meus,
S. Angele intercessor meus,
S. Angele susceptor meus,
Ora pro nobis.
S. Angele gubernator meus,
S. Angele præses meus,
S. Angele doctor meus,
S. Angele conservator meus,
S. Angele prædicator meus,
S. Angele illuminator meus,
Ora pro nobis.

Agnus DEI qui tollis peccata mundi,
Parce nobis Domine. &c.
Pater noster, Ave MARIA, &c.

Angelis suis mandavit de te,
Ut custodiant te in omnibus viis tuis.
Domine exaudi orationem meam,
Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui ineffabilis bonitatis tuæ consilio, cunctis fidelibus ab utero matris custodem corpo-

ris & animæ ſpecialem, Angelum deputaſti: concede, ut quem mihi miſericorditer tribuiſti, ſic obſervem & diligam, ut gratiæ tuæ munere, illiuſque cuſtodiæ munimine protectus, in cæleſti Patria vultum gloriæ Tuæ cum illo, & cæteris Angelis merear contemplari. Per Dominum noſtrum, &c.

Ad S. Angelum Cuſtodem.

SAluto te ô S. Angele Dei Princeps nobilis, cuſtos meus fidelis, cui me gubernandum divina bonitas tradidit. Quantum tibi debeo, quod indigno mihi tot animi corporisque ſalutem procuras; commendo me tibi hodie, ut adverſùs malignum hoſtem; te duce illæſus conſervers, & in gratia DEI ad extremum uſque halitum conſtans perſeverem, & tecum in cœlo Dominum noſtrum laudem in æternùm, Amen.

OFFICIUM

AD

S. IOSEPHUM *SPONSUM* B. V. MARIÆ.

AD MATUTINUM

IESUS, MARIA, IOSEPH,

℣. Domine labia mea aperies.

Et os

℟. Et os meum annunciabit laudem tuam.

Deus in adjutorium meum intende,
Domine ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri, Filio, &c. Alleluia *A septuagesima usque ad Pascha loco* Alleluia *dicitur.*
Laus tibi Domine, Rex æternæ gloriæ.

Hymnus.

IOseph David Filius, clarâ stirpe natus,
IESU Christi Domini, Pater nuncupatus.
Desponsatus Virgini; mente copulatus,
Utriusque Custos, cœlô destinatus.

Antiphona.

Salve Patriarcharum decus, & Ecclesiæ Sanctæ Dei œconomus, cui panem vitæ, & frumentum electorum conservasti.
Ora pro nobis sancte Ioseph:
Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

ORATIO.

SAnctissimæ Genitricis tuæ Sponsi, quæsumus Domine meritîs adjuvemur, ut quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur; Qui vivis & regnas cum DEO Patre in unitate Spiritûs S. Deus: Per omnia sæcula sæculorum, Amen.

AD

AD PRIMAM

IESUS, MARIA, IOSEPH.

Deus in adjutorium meum intende,
Domine ad adjuvandum &c.
Gloria Patri, & Filio, &c.

Hymnus.

TU qui Sponsam gravidam dolens cùm videres.
Cogitabas an eam posthac retineres;
Sed cœlestis monitor ne tantum timeres,
In somnis admonuit, ut magis gauderes.

Antiph: Versus, & Oratio ut supra.

AD TERTIAM

IESUS, MARIA, IOSEPH,

Deus in adjutorium meum, &c.
Gloria Patri & Filio, &c.

Hymnus.

BEthleem profectus censum soluturus,
Cum prægnante Virgine, ubi nasciturus,
Erat mundi Dominus; quique mox facturus,
Ut ipsum infantulum esses amplexurus.

Antiph: Versus, & Oratio ut supra.

AD SEXTAM.

IESUS, MARIA, IOSEPH,

Deus in adjutorium meum, &c.
Gloria Patri & Filio, &c.

HOstibus jam defunctis inde recessisti,

Atque in Galilæam tecum reduxisti;
Puerum, & Mariam, sicut didicisti,
Cœlitùs; in Nazareth humilis vixisti.

Antiph: Versus, & Oratio ut supra.

AD VESPERAS.

IESUS, MARIA, IOSEPH,
Deus in adjutorium meum &c.
Gloria Patri & Filio, &c.

Hymnus.

TU IESUM duodecem jam factum annorum,
Perdidisti tuum lumen oculorum;
Sed posthac in medio inventum doctorum
Custodisti sedulus Regem Angelorum.

Antiph: Versus & Oratio ut supra.

AD COMPLETORIUM.

IESUS, MARIA, IOSEPH,
Converte nos Deus salutaris noster,
Et averte iram tuam à nobis.
Deus in adjutorium meum &c.
Gloria Patri & Filio, &c.

Hymnus.

FElix quem in ulnis IESUS cum Maria,
Tenuit cubantem, dum in agonia.
Spiritum efflares, ut directa viâ,
Tenderes ad Patres; functus vitâ piâ.

Antiph: Versus & Oratio, ut supra.

COMMENDATIO.

Has horas canonicas cum attentione,

Dixi

Dixi, Beate IOSEPH tui ratione;
Nè mei ſis immemor in oratione,
Ut vivamus in cœli ſimul regione.

OFFICIUM
DE SANCTA
BARBARÆ
V. M. Singulari Morientium Patronæ.

AD MATUTINUM.

Domine labia mea aperies,
Et os meum annunciabit laudem tuam.
Deus in adjutorium meum &c.
Gloria Patri & Filio, &c.

Hymnus.

AVe Martyr glorioſa,
BARBARA, mundum peroſa;
Paradiſi vernans roſa,
Caſtitatis lilium.
Tu ſpretô cultu Deorum,
Nobis in exemplar morum,
Chriſto in munus decorum,
Te das; & obſequium.
℣. Specie tua & pulchritudine tua,
℟. Intende, proſperè procede & regna.

Oratio.

INterceſſio nos tua quæſumus Domine beatæ Barbaræ Virginis & Martyris ſemper adjuvet, ut imparati, & ſubitò non mo-

riamur, ſed ante diem mortis noſtræ, ſanctiſſimi corporis & ſangvinis tui, ſacrique olei unctionis Sacramentô ſalubriter muniamur, & ab omni malo protecti, ex hoc exilio ad cæleſtem Patriam perducamur. Qui vivis & regnas cum DEO Patre in unitate Spiritûs S. Deus. Per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

AD PRIMAM

Deus in adjutorium meum &c.
Gloria Patri & Filio, &c.

Hymnus.

AVe virgo pulchra tota,
Charitatis fonte lota;
Dulcis, mitis & devota,
Vas virtutum omnium.
Te ob fidem Chriſto datam,
Durîs catenîs gravatam,
Et carceri mancipatam,
Sævus parens cruciat.

Verſus & Oratio ut ſupra.

AD TERTIAM.

Deus in adjutorium meum &c.
Gloria Patri & Filio, &c.

Hymnus.

AVe criminis ignara,
Sponſum audis voce clarâ,
Veni pulchra, veni chara,
Veni coronaberis.
Minas, pænas, contempſiſti,

Ma-

Magnos dolores viciſti;
Crebros ictus pertuliſti,
Dum pro DEO cæderis.

Verſus, & Oratio ut ſupra.

AD SEXTAM

Deus in adjutorium meum &c.
Gloria Patri & Filio, &c.

Hymnus.

AVe tota vulnerata,
Crudeliter flagellata;
Surſum pedibûs levata;
Quaſſa caput malleô.
Ferrô latera ſolvuntur,
Et lucernîs aduruntur;
Mammæ caſtæ præſcinduntur;
Acumine ferreô.

Versus & Oratio ut ſupra.

AD NONAM

Deus in adjutorium meum &c.
Gloria Patri & Filio &c.

Hymnus.

AVe Barbara ſerena,
Pulchra quaſi luna plena;
Singulari cantilenâ,
Sponſum Agnum ſequeris;
Tuam ille caſtitatem,
Fovens, albâ nuditatem;
Veſte tegit, ſanitatem
Ægro reddit corpori.

Versus & Oratio ut supra.

AD VESPERAS.

Deus in adjutorium meum, &c.
Gloria Patri & Filio &c.

Hymnus.

MAnum tollit, & crudelem,
Stringit ensem, in imbellem,
Martyrem Christi fidelem,
Genitor in filiam.
Vix dum caput amputavit,
Igne nubes laceravit,
Fulmen, patris dissipavit,
Caput in perniciem.

Versus & Oratio ut supra.

AD COMPLETORIUM

Converte nos Deus salutaris noster,
Et averte iram tuam à nobis.
Deus in adjutorium meum &c.
Gloria Patri & Filio, &c.

Hymnus.

AVe Barbara beata,
Quæ cum sponso præparata,
Nuptiarum adoptata,
Transivisti gaudia.
Tu es fulgens margarita,
In corona IESU sita,
Tam in morte, quàm in vita,
Sis nobis propitia.

Versus & Oratio ut supra,

COMMENDATIO.

VIrgo sponsa Christi chara,
Cùm nos mors premet amara,
E cœlestis templi ara,
Fer nobis viaticum.
Hîs te precibûs donamus,
Has tibi laudes dicamus,
Cùm nos trahet mortis hamus,
Adsis ad auxilium.

ORATIO.

O Sanctissima Barbara, quodcunque Sponsi tui viribus potes, mihi in mortis articulo, obsecro, ut suppedites. Adjuva me miserum, ne in peccatis moriar. Effectum tunc habeat tua intercessione, primitùs à Christo tibi facta promissio, cum fidem ejus, tuô sangvine consecrares. Redeat in memoriam Sponso tuo, virgineus collô tuô exuberans sangvis, recordetur ardentissimæ tuæ charitatis; nec animam meam à corpore exire permittat, nisi confessione expiatam, & SS. Eucharistiæ Sacramentô refectam.

OFFICIUM S. IGNATII.

Confess: Soc: JESU Fundatoris.

AD MATUTINUM.

Domine labia mea aperies,

Et os meum annunciabit laudem tuam.
Deus in adjutorium meum &c.
Gloria Patri & Filio, &c.

Hymnus.

IGnati Pater Optime,
Indignam prolem respice;
Quam sæculi è fluctibus,
Eduxit DEI Filius.

Antiph: Ave Pater mitissime, fidei zelator, Ecclesiæ Catholicæ fortis propugnator, hæreseos virulentæ felix triumphator, primusque Societatis Author, & Fundator, esto tuæ familiæ pius mediator.

Ora pro nobis S. Pater IGNATI,
Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

ORATIO.

DEUS, qui ad majorem Nominis Tui gloriam propagandam novô per Beatum IGNATIUM subsidiô militantem Ecclesiam roborasti, concede, ut ejus auxiliô & imitatione certantes in terris, coronari cum ipso mereamur in cœlis. Qui vivis & regnas cum Deo Patre, &c.

AD PRIMAM.

Deus in adjutorium meum, &c.
Gloria Patri & Filio, &c.

Hymnus.

Glori-

GLoria ſummi Numinis,
Et ſplendor IESU Nominis,
Poſce te poſtulantibus,
Progreſſum in virtutibus.

Antiph: Verſus & Oratio ut ſupra.

AD TERTIAM.

Deus in adjutorium meum, &c.
Gloria Patri & Filio, &c.

Hymnus.

NUmen precare IGNATI,
Simus bene radicati,
In fide, ſpe, charitate,
Profunda humilitate.

Antiph: Verſus & Oratio ut ſupra.

AD SEXTAM.

Deus in adjutorium meum, &c.
Gloria Patri & Filio, &c.

Hymnus.

ALme Pater flagitamus,
Te Patronô fulgeamus,
Angelicâ puritate,
Et Spiritûs paupertate.

Antiph: Verſus & Oratio ut ſupra.

AD NONAM.

Deus in adjutorium meum, &c.
Gloria Patri & Filio, &c.

Hymnus.

TAndem Pater dulciſſime,
Quæ doces, obtine, Doces,

Christi obedientiam,
Et ejus patientiam.
Antiph: Versus & Oratio ut supra.

AD VESPERAS

Deus in adjutorium meum, &c.
Gloria Patri & Filio, &c.

Hymnus.

IGnatius sacrô flamine,
Et tactus DEI flamine,
Salutis das documenta,
O Pater implere præsta.
Antiph: Versus & Oratio ut supra.

AD COMPLETORIUM.

Converte nos Deus salutaris noster,
Et averte iram tuam à nobis.
Deus in adjutorium meum, &c.
Gloria Patri & Filio, &c.

Hymnus.

VIctor nunc regnas in cœlis,
Magnîs fulgens miraculîs,
In omnibus periculis,
Adesto tuis orphanis.
Antiph: Versus & Oratio ut supra.

COMMENDATIO.

SUbmissè peto & intimè,
O Pater beatissime,
Adsis ad meum obitum,
Impetra faustum exitum.
Et post æternam requiem,
Ut tecum in cœlis regnem, Amen.

OFFICIUM S. FRANCISCI XAVERII.

AD MATUTINUM

Domine labia mea aperies,
Et os meum annunciabit laudem tuam.
Deus in adjutorium meum &c.
Gloria Patri, & Filio, &c.

Hymnus.

O Invocantium ſalus, Franciſce cœli nuncie,
Ardens calore ſpiritûs, mundi pererras climata.
Depoſce nobis gratiam, demortuis ſolatium.

Antiphona

Euge ſerve bone, & fidelis quia in pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui.

Ora pro nobis S. Franciſce,
Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

ORATIO.

DEUS, qui Indiarum gentes Beati Franciſci prædicatione, & miraculîs Eccleſiæ tuæ aggregare voluiſti, concede propitius, ut cujus glorioſa merita veneramur, virtutum quoque imitemur exempla. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, &c.

AD PRIMAM.

Deus in adjutorium meum, &c.
Gloria &c.

Hymnus.

DOmum paternam deſerens terras adis incognitas,
Ultroque genti barbaræ, Chriſtum daturus, aut necem.
Depoſce nobis gratiam, &c.

Omnia dic poſt omnes horas ut ſupra ad Matutinum.

AD TERTIAM.

Deus in adjutorium meum, &c.
Gloria Patri, & Filio, &c.

Hymnus.

GEntes rudes ut Iaponum, verbô ſalutis imbuas,
Et fonte ſacrô recrees, mille fers pericula.
Depoſce nobis gratiam. &c.

AD SEXTAM.

Deus in adjutorium meum, &c.
Gloria Patri, & Filio, &c.

Hymnus.

MOrtem cupis pro Nomine Ieſu ſubire à barbaris,
Ut Paulus olim gentium Doctor Dei zelô calens,
Depoſce noobis gratiam, &c,

AD NONAM.

Deus in adjutorium meum, &c.
Gloria Patri, & Filio, &c.

Hymnus.

SEd te manet ſvavior mors, pœna poſcit dulcior,

Divini

Divini amoris ſpiculô Franciſce fixus con-
cides.
Depoſce nobis gratiam, &c. *ut ſupra.*

AD VESPERAS.

Deus in adjutorium meum, &c.
Gloria Patri, & Filio, &c.

Hymnus.

TE Iesus ad cœlum vocat, veni fidelis
ſervule,
Sumas coronam gloriæ, cœli potire præ-
miîs.
Depoſce nobis gratiam, &c. *ut ſupra.*

AD COMPLETORIUM.

Converte nos Deus ſalutaris noſter,
Et averte iram tuam à nobis.
Deus in adjutorium meum, &c.
Gloria Patri, & Filio, &c.

Hymnus.

O Charitatis victima, Tu corda noſtra
concrema,
Tibi gregem concreditum, à Tartari ſerva
lupis.
Depoſce nobis gratiam, &c. *ut ſupra.*

COMMENDATIO.

In mortis hora, ferto opem,
Da robur & potentiam,
Contra ſalutis æmulos,
Ut aſſequamur patriam,
Depoſce nobis gratiam,
Demortuis ſolatium, Amen.

DEVOTIO XAVERIANA.

Per decem dies Veneris exercenda in honorem.

S. FRANCISCI XAVERII.

HUjus praxis ad impetrandam ſpecialem aliquam à DEO gratiam mediante potenti patrociniô S. XAVERII, non paucis, in pluribus Italiæ Urbibus, ac Provinciis, præſertim in regno Neapolitano, ſicut etiam in Germania, aliiſque Orbis Chriſtiani Provinciis ac Regnis utiliſſima fuit. In memoriam igitur decem annorum, quibus magnus hic Apoſtolus in Gentium converſione deſudavit, & in mortis ejusdem Sancti venerationem, quàm piiſſimè in Inſula Sanciano. 2. die Decembris 1552. die Veneris obiit, Item ad favoris illius prodigioſi honorem ac reverentiam, quô Chriſti in Cruce pendentis ſimulachrum in domo paterna Xaverii, ſextîs quibusque ejusdem anni feriîs, ſangvine undique manabat, quotieſcunque adverſi quidpiam Sancto viro accidebat in India; ſequentibûs decem diebûs Veneris ad inſignem aliquam gratiam per hujus magni Sancti interceſſionem impetrandam, exercere eſt conſultum devotè confeſſionis ac Sacræ Communionis Sacramenta obire. 2. Jejuniô aut alia leviori, pro cujusque ſtatu,

morti-

mortificatione corpus afflictare. 3. Ante a-
ram ipsius aut iconem, quam quisque decen-
ter in conclavi suo ornatam conservabit,
decem *Pater noster*, *&* *Ave Maria*, *&c*, *&*
totidem *Gloria Patri*, cum *Antiphona*, &
Oratione, hic subscripta recitare, ut sequi-
tur.

Antiphona.

Euge serve bone, & fidelis, quia in pau-
ca fuisti fidelis, supra multa te constituam,
intra in gaudium Domini. ℣. Iustum deduxit
Dominus per vias rectas. ℟. Et ostendit illi
Regnum DEI.

ORATIO.

DEUS qui Indiarum Gentes S. FRANCI-
SCI prædicatione, & miraculis, Ecclesiæ
tuæ aggregare voluisti, concede propitius
ut cujus gloriosa merita veneramur, virtu-
tum quoque imitemur exempla. Per Chri-
stum Dominum nostrum. Amen.

Postremò summa cum fiducia optata gra-
tia postulanda est, etenim longâ experientiâ
compertum habemus eos, qui cum fiducia
se sub S. FRANCISCI XAVERII patrocinium
recipiunt benignè exaudiri, ut saltem pati-
entiam & robur, se se Divinæ Voluntati,
conformandi recipiant si ea, quæ petunt,
non consequantur.

Ut te autem dignum tali gratiâ reddere
valeas, tollenda sunt omnia spiritualia im-
pedimenta, seu peccata, seriò devotioni,
internæque culturæ animi cum frequenti
discussione conscientiæ insistendo.

OFFI-

OFFICIUM
Ad SANCTUM STANISLAUM KOSTKA
Societatis JESU.

Patronum Regni Poloniæ.

AD MATUTINUM.

Domine labia mea aperies.
Et os meum annuntiabit laudem tuam.
Deus in adjutorium meum intende,
Domine ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri, & Filio, &c.
Sicut erat in principio, &c.

Hymnus.

LUx nata nuper Sarmatis,
Amorque nostri climatis,
Salve Beate Kostule,
Cœlestis horti floscule.

Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni,
Cui benedixit Dominus.
Domine exaudi orationem meam,
Et clamor meus ad te veniat.

Oremus

DEus, qui per Angelicas manus S. Stanislaum Confessorem Tuum sacro Filii Tui corpore dulciter satiasti, concede propitius, ut per ejus intercessionem, eundem Filium tuum quem nunc per fidem in admirabili Sacramento veneramur & sumi-

mus,

mus, revelatâ facie in cœlis contemplari valeamus. Per eundem Christum, &c.

AD PRIMAM.

Deus in adjutorium, &c.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Hymnus.

DElicium magni Patris,
Svaviolum magnæ Matris,
Unum præsta, ut cor meum,
Quidquid volet, velit, DEUM.

Puer parvulus; & ipsum solum habet mater sua.

Pater verò tenerè diligit eum.

Domine exaudi, &c. *Oratio ut supra.*

AD TERTIAM

Deus in adjutorium meum, &c.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Hymnus.

FLammîs supernîs æstuas,
Nobis calores impluas,
Non unda flammas temperet,
Meas medullas concremet.

Aqvæ multæ non potuerunt extingvere charitatem.

Nec flumina obruere illam.

Domine exaudi, &c. *Oratio ut supra.*

AD SEXTAM.

Deus in adjutorium meum, &c.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Hymnus.

Hymnus.

JUbar repandis aureum,
Stillas liqvorem melleum;
Guttam mitte ſitienti,
Et quem ſtringis, da poſcenti.
Quaſi flos roſarum in diebus vernis,
Et quaſi lilia quæ ſunt in tranſitu aqvæ.
Domine exaudi, *Oratio ut ſupra.*

AD NONAM.

Deus in adjutorium meum, &c.
Gloria Patri, & Filio, &c.

Hymnus.

ARridet æther gaudiis,
Tuisque plaudit baſiis,
Quas Angelorum manibûs;
Sumis, nos paſce frugibûs.
Panem Cæli dedit eis,
Panem Angelorum manducavit homo;
Pſalm 77. v. 24. & 25.
Domine exaudi, &c.

AD VESPERAS.

Deus in adjutorium meum, &c.
Gloria Patri, & Filio, &c.

Hymnus.

PEr Tuum Virgo floſculum;
Per Tuum IESU Koſtulum,
Tua nos gratiâ muni,
Et Patri æterno uni.
Fulcite me floribus, ſtipate me malîs,
Quia amore langueo,

AD

AD COMPLETORIUM.

Converte nos DEUS ſalutaris noſter,
Et averte iram tuam à nobis.
Deus in adjutorium meum, &c.
Gloria Patri, & Filio, &c.

Hymnus.

O Koſtka Chriſti gemmula,
Cœli micantis flammula.
IESUM da meis fletibus,
Da Dominum gemitibus.

Conſummatus in brevi explevit tempora multa.

Placita enim erat DEO anima illius,

Domine exaudi, &c. *Oratio ut ſupra.*

ORATIO

DEUS qui Beatiſſimum Staniſlaum Koſtkam Regni hujus Patronum vitæ ſanctitate, & miraculûm gloriâ ubique feciſti illuſtrem da ut ejus exemplô ſemper in pietate creſcamus & ab hoſtibus mentis & corporis ejus protegamur auxiliis. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, &c.

OFFI-

OFFICIUM
SANCTI
ALOYSII GONZAGÆ.
Societatis IESU.
AD MATUTINUM.

Domine labia mea aperies,
Et os meum annunciabit laudem tuam.
Deus in adjutorium meum intende,
Domine ad adjuvandum me festina,
Gloria Patri, & Filio, &c.

Hymnus.

CAnduit noster Ludovicus illa,
Mente, quâ semper fuit innocenti,
Ut suo crispæ niveô bidentes,
Vellere candent.

Aloysi Gonzagarum decus, honor juventutis, Societatis ornamentum, castitatis lilium, flos obedientiæ, paupertatis viola, rosa verecundiæ, virtutum omnium millefolium, fac ut qui brevi vitæ compendiô, grandævæ ætatis perfectionem comprehendisti, te hic imitemur, & ibi laudemus in sempiternum.

Consummatus in brevi explevit tempora multa.

Placita enim erat DEO anima illius.

ORATIO.

DEus qui famulum Tuum Aloysium ad majo

majorem Nominis Tui gloriam in Societatem Filii Tui vocare dignatus es, largire quæsumus, ut qui columbinæ innocentiæ jubar imitamur in terris, ejus gloriæ participes fieri mereamur in cœlis Per Christum Dominum nostrum, Amen.

AD PRIMAM

Deus in adjutorium meum intende,
Domine ad adjuvandum me festina,
Gloria Patri, & Filio, &c.

Hymnus.

LIlium plusquam nivei coloris,
Integræ vivô tibi castitatis,
Semper ex largis oculis refusô
Floruit imbre.

Aloysi Gonzagarum, &c. *ut supra.*
Consummatus &c. cum Oratione.

AD TERTIAM.

Deus in adjutorium meum intende,
Domine ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri, & Filio, &c.

Hymnus.

CAlcar in molles penetravit artus,
Sæpius, quando minimè rebellem,
Punxit armatîs laqueîs vocata,
Purpura carnem.

Aloysi Gonzagarum, &c. *ut supra.*
Consummatus, &c. cum Oratione.

AD SEXTAM.

Deus in adjutorium meum intende,
Domine ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri, & Filio, &c. *Hym-*

Hymnus.

CUm ſpopondiſſet Diadema mundus,
Sceptra cum dives regio dediſſet,
Sceptra Gonzaga, & Diadema vanas,
Credidit umbras.
Aloyſi Gonzagarum, *ut supra.*
Conſummatus, &c. cum Oratione.

Ad NONAM.

Deus in adjutorium meum intende,
Domine ad adjuvandum me feſtina,
Gloria Patri, & Filio, &c.

Hymnus.

VEluti maſſam figulus ſequacem,
Fingit, in quam vult agitare formam,
Ductilem ſic te poterant ſuperni,
Flectere nutus.
Aloyſi Gonzagarum, &c. *ut ſupra.*
Conſummatus, &c. cum Oratione.

Ad VESPERAS.

Deus in adjutorium meum intende,
Domine ad adjuvandum me feſtina,
Gloria Patri, & Filio, &c.

Hymnus.

CUm fatigabas precibûs beatos,
Et piæ terram lacrymæ rigabant,
Viſus es crebro quaſi raptus ipſum,
Cernere Numen.
Aloyſi Gonzagarum, &c. *ut ſupra.*
Conſummatus, cum Oratione.

Ad

AD COMPLETORIUM.

Converte nos Deus salutaris noster,
Et averte iram tuam à nobis.
Deus in adjutorium meum, &c.
Gloria Patri, & Filio, &c.

Hymnus.

CEssit è vivis Ludovicus omni,
Ritè virtutum specie decorus,
Magna virtutum series beatæ,
Tessera vitæ.

Aloysi Gonzagarum, &c. *ut supra.*
Consummatus, &c. cum Oratione.

OBLATIO.

HOc tibi nostrum Ludovice carmen,
Debitô conor recitare votô,
Ut malum nobis medicô propinquum,
Pollice pellas.

Dilectus meus mihi, & ego illi; qui pascitur inter lilia.
Oleum effusum Aloysi Nomen Tuum.
Adolescentuli dilexerunt te nimis.

ORATIO.

OMnipotens sempiterne Deus, qui Beatum Aloysium in Societate Filii Tui IESU, gratiâ contemplationis, & sanctimoniæ candore admirabili exornasti, Præsta quæsumus; ut ejus celebrantes memoriam apud te, tui exactam nominis cognitionem, & puritatis inviolabilem assequamur gloriam, Per Christum Dominum nostrum, Amen.

OFFI-

OFFICIUM
Parvum
SANCTORUM TRIUM
Martyrum Japonensium
JOANNIS, PAULI, & JACOBI;
Societatis IESU

Momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.

Ad MATUTINUM

DOmine labia mea aperies,
Et os meum annunciabit laudem tuam.
Deus in adjutorium meum intende,
Domine ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri, & Filio, &c.

Hymnus.

FOrtes avete milites,
Quorum cruore Iapones,
Et purpurascit inclytæ,
Ager ferax Ecclesiæ.
Vestrô hunc rigate sangvine,
Terramque cordis aridam,
Fæcunda fructus proferat,
Quos horreis cœli inferat.

Antiph: Iustorum animæ in manu DEI sunt, & non tanget illas tormentum malitiæ: visi sunt oculis insipentium mori, illi autem sunt in pace.

Nos

Nos autem oportet gloriari in Cruce Domini IESU.

Per quem nobis mundus crucifixus est, & nos mundo.

ORATIO.

DEus qui Beatos Martyres Tuos IOANNEM, PAULUM, & IACOBUM; Martyrii gloriâ decorasti, concede quæsumus, ut quorum gloriæ coronam in cœlis veneramur; eorum fortitudinis exemplum, & passionis constantiam imitemur in terris. Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

AD PRIMAM.

Deus in adjutorium meum intende;
Domine ad adjuvandum me festina;
Gloria Patri, & Filio, &c.

Hymnus.

OLata amoris viscera,
O charitatis pectora,
Quæ non Tyranni vincula;
Stringere valent, aut verbera.
Per vestra solvi vincula,
Nexus rogamus criminum,
Mens ut beatîs libera,
Cœli fruatur sedibûs.

Nos autem oportet, &c. *Oratio ut supra.*

AD TERTIAM.

Deus in adjutorium meum intende,
Domine ad adjuvandum me festina,
Gloria Patri, & Filio, &c.

Hymnus

Hymnus.

AD carceres, ad Iudices,
Læti trahuntur Martyres;
In vinculis in carcere,
DEUM fatentur jugiter,
Confeſſione ſupplices,
Veſtrâ, precamur Martyres:
Numen quod ore credimus,
Noſtrîs fateamur moribûs.
Nos autem oportet, &c. *Oratio ut ſupra.*

AD SEXTAM.

Deus in adjutorium meum intende,
Domine ad adjuvandum me feſtina;
Gloria Patri, & Filio, &c.

Hymnus.

FAme premantur viſcera,
Sitique fauces aſperâ,
Cœli tamen Mens gaudiîs,
Solatiîſque paſcitur.
Sitim, famemque pellite,
Manna ſupernum promite,
Vitæ perennis rivulos,
Deſideratos fundite.
Nos autem oportet, &c. *Oratio ut ſupra.*

AD NONAM.

Deus in adjutorium meum intende,
Domine ad adjuvandum me feſtina;
Gloria Patri, & Filio, &c.

Hymnus.

NAres & aures, impie,
Tibi Tyranne tollito,

Mens

Mens verba Sponsi percipit,
Melosque gratum personat,
Vitæ relictîs gaudiîs,
Christo vocanti obtemperat,
Mundus vilescit desipit,
Christusque solus perplacet.
Nos autem oportet, &c. *Oratio ut supra.*

Ad VESPERAS.

Deus in adjutorium meum intende,
Domine ad adjuvandum me festina,
Gloria Patri, & Filio, &c.

Hymnus.

GRatam DEO se victimam,
In stipite crucis consecrant;
Ut veriores Affeclæ,
Christi sui sint Principis;
Nobis supremo à Numine,
Constantiam deposcite,
Crucem ut feramus alacriter,
Adusq: finem fortiter.
Nos autem oportet, &c. *Oratio ut supra.*

Ad COMPLETORIUM.

Converte nos Deus salutaris noster,
Et averte iram tuam à nobis.
Deus in adjutorium meum intende,
Domine ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri, & Filio, &c. Sicut erat, &c.

Hymnus.

O Gloriosi Martyres,
Vestrum polorum Principi,
Cruore fusô spiritum,
Qui reddidistis ultimum,

Cor nostrum amoris spiculô;
Offerte Christo saucium,
In spiritu vitæ ultimo,
Opemque nobis mittite.
Nos autem oportet, &c. *Oratio ut supra.*

COMMENDATIO.

HOc gratulamur carmine,
Vobis triumphum Martyres,
Et purpuratam sangvine,
Vobis vovemus lauream.
Vitæ peractô terminô,
Vestrô omniumque cœlitum;
Ut perfrui consortiô,
Nobis liceat in sæcula, Amen.

Oremus.

DEus qui Beatos Martyres Tuos, IOANNEM, PAULUM, & IACOBUM, Martyrii gloriâ decorasti, concede quæsumus, ut quorum gloriæ coronam in Cœlis veneramur; eorum fortitudinis exemplum, & passionis constantiam imitemur in terris. Per Dominum nostrum Iesum Christum. &c.

OFFICIUM
De Sancto
JOANNE NEPOMUCENO.
Pœnitentium & Famâ Periclitantium
PATRONO.

SANCTUS, SANCTUS, SANCTUS,

Dominus DEUS Sabaoth, Pleni sunt Cœli & Terra gloriâ tuâ.

AD MATUTINUM.

Domine labia mea aperies,
Et os meum annunciabit laudem tuam.
Deus in adjutorium meum intende,
Domine ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri, & Filio, &c.
Alleluja, vel Laus tibi Domine,
Rex æternæ gloriæ.

Hymnus.

ORbi Nepomucum dedit,
Te Ioannes suum credit,
Patronum Bohemia.
In qua Tuæ Pietatis,
Admirandæ Sanctitatis;
Coruscant insignia.

Vers: Domine nè elongaveris auxilium tuum à me.
Resp: Ad defensionem meam conspice.

O R A T I O.

DEus, cui soli debetur omnis honor & gloria, per gloriosa merita S. Martyris tui Ioannis Nepomuceni, Te suppliciter exoro; ut omnem infamiam, & confusionem publicam undecunque mihi impendentem misericorditer avertere digneris; & concede sic uti honore temporali, ut æternam confusionem evadere, & in cœlesti gloria merear collocari. Per Dominum nostrum, Jesum Christum Filium Tuum qui ab æ-

terna confusione, ignominiosâ morte Crucis nos redemit, & nunc tecum vivit, & regnat Deus in sæcula sæculorum, Amen.

AD PRIMAM.

Deus in adjutorium meum &c.
Domine ad adjuvandum me &c.
Gloria Patri & Filio, &c.
Alleluia vel Laus tibi Domine, &c.

Hymnus.

DEI Mater impetravit,
Quòd sis mirè, procuravit,
Natus thorô sterili.
Flammæ Cœli confirmarunt,
Prolem Sanctam Te monstrârunt,
Signô non fallibilî.

Vers: Ad te Domine levavi animam meam,
Res: Deus meus in te confido, non erubescam. *Oratio ut supra.*

AD TERTIAM.

Deus in adjutorium meum intende,
Domine ad adjuvandum me festina,
Gloria Patri, & Filio, &c.
Alleluja: vel Laus tibi Domine, &c.

Hymnus.

VIx Sacerdos ordinatus,
Es ferventer mox zelatus,
Solam DEI gloriam.
Divinum semen sparsisti,
Populos post te traxisti,
Per miram facundiam.

Vers. Custodi animam meam, & erue me.
Resp.

Resp: Non erubescam, quoniam speravi in Te. *Oratio ut supra.*

AD SEXTAM.

Deus in adjutorium meum intende;
Domine ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri, & Filio, &c.
Alleluja; vel Laus tibi Domine, &c.

Hymnus.

TE Reginæ Confessorem,
Virtus fecit, & Censorem,
Mirandæ Prudentiæ.
Ab hac Pater vocitatus,
Unus suæ declaratus,
Testis conscientiæ.

Vers: Suscipe me Domine secundùm eloquium tuum.

Resp: Et non confundas me ab expectatione mea. *Oratio ut supra.*

AD NONAM

Deus in adjutorium meum intende;
Domine ad adjuvandum me festina,
Gloria Patri, & Filio, &c.
Alleluja: vel Laus tibi Domine, &c.

Hymnus.

SÆvus piger Imperator,
Malorum clarus patrator,
Pollicetur pessima.
Ni, quæ dixit Sacramentô,
Tu propales in momento,
Uxoris peccamina.

Vers: In te Domine speravi, non confundar in æternum;

Resp: In justitia tua libera me: *Oratio ut sup.*

AD VESPERAS.

Deus in adjutorium meum intende,
Domine ad adjuvandum me festina,
Gloria Patri & Filio, &c.
Alleluja: vel Laus tibi Domine, &c.

Hymnus.

ARcanum custodivisti,
Ob quod lætus subivisti,
Tormentorum genera.
Aquîs tandem suffocatus,
Effectus, quòd sis Beatus,
Prodiderunt sidera.
Vers: Intende animæ meæ, & libera eam.
Resp: Propter inimicos meos eripe me.

Oratio ut supra.

AD COMPLETORIUM.

Converte nos Deus salutaris noster,
Et averte iram tuam à nobis.
Deus in adjutorium meum intende,
Domine ad adjuvandum me festina;
Gloria Patri, & Filio, &c.
Alleluja: vel Laus tibi Domine, &c.

Hymnus.

TUmulatus nunc quiescis,
Et in dies illucescis,
Præclarîs miraculîs.
Es certus famæ Patronus,
Nos à malæ famæ pronus,
Defendas periculis.

Vers:

Vers. Domine non confundar,
Resp. Quoniam invocavi Te.

Oratio. ut supra.

COMMENDATIO.

Suſcipe, quas dedimus Ioannes Beate,
Tibi preces ſupplices, noſter Advocate,
Fieri dum vivimus, nè ſinas infames
Et noſtros poſt obitum cœlis infer manes.

ORATIO.

SAncte Ioannes Martyr ac Patrone Nepomucene in Bohemia oriunde, Templi S. Viti, in Arce Pragenſi Canonice, eò quód ad inſtantiam Venceſlai IV. Regis, ulciſci ſe de coniuge, ſæpe illum de vita corrigenda monente, volentis; ante & poſt torturam Confeſſionem Auguſtæ propalare recuſaſti, in flumen Moldavam, ex ponte præcipitatus, à luminibus noctu, ſupra flumen, ubi corpus tuum jacuit, apparentibûs certiſſimîs tuæ innocentiæ & ſanctitatis teſtibûs oſtenſus, ſolenniter ab univerſo Clero ac populo; ad Cathedrale Templum deportatus fuiſti, ubi uſque hodie, qui tuum Sepulchrum dehonorant, vulgi infamiam effugere non ſolent. Tu ergo admirandam, inauditam ſempiternam memoriam ſecreti Exomologeſeos poſt te reliquiſti, per hæc tua merita & dona Divinitùs tibi conceſſa, precamur ſuppliciter ac fiducialiter, ut ira ejus conquieſcat, peccatorum pœnas, uti pe-

ſtem, bellum, famem, aliaſque tam corporis, quàm animæ plagas clementer avertat, & ut nos ante obitum confiteri, pro peccatis ſatisfacere, omne periculum & ſæculi dedecus, hominum ſcandalum effugere, DEO placere, adhærere, vitam laudabiliter concludere, & ad vitam æternam pervenire poſſimus, per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

LITANIÆ

De SANCTO JOANNE NEPOMUCENO,

Ad S. Vitum Pragæ, Canonico, in cauſa inviolatè ſervati Sacro-Sanctæ Confeſſionis Sigilli Martyre, & ſingulari famâ periclitantium

PATRONO.

Cujus memoriâ 16. Maji colitur.

Kyrie eleyſon, Chriſte eleyſon. Kyrie eleyſon.

Chriſte audi nos, Chriſte exaudi nos.

Pater de Cœlis DEUS, Miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi DEUS, Miſerere.
Spiritus Sancte DEUS, Miſerere nobis.
Sancta TRINITAS unus DEUS, Miſerere
Sancta MARIA, Ora pro nobis.
Sancta DEI Genitrix, Ora pro nobis.
Sancta Virgo Virginum, Ora pro nobis.

S. Io-

S. IOANNES Nepomucene, Ora pro nobis
Lachrimîs, & precibûs senum tuorum parentum ad B. V. M. fusis nate, Ora pro:
Visibili corusca luce in natali tuo â Cælo honorate. Ora pro nobis.
Unigenite solatium, & gaudium tuorum parentum, Ora pro nobis.
Impiger minister S. Altaris, Ora pro nobis
Vir Apostolice, Ora pro nobis
Lumen Ecclesiæ Pragensis, Ora pro nobis
Speculum & Norma Confessariornm, Ora
Eleemosynarie liberalissime, Ora pro nobis
Refugium pauperum, Ora pro nobis
Consolator afflictorum, Ora pro nobis
Expugnator hæresum, Ora pro nobis
Tuba legis Evangelicæ, Ora pro nobis
Dignitatum & honorum Contemptor, Ora:
A teneris unguiculis ardentissime Mariophile, Ora pro nobis.
Orator eloquentissime, Ora pro nobis
Prædicator zelosissime, Ora pro nobis
Salutis animarum cupidissime, Ora pro no:
Multos ad pœnitentiam convertens, Ora:
Sanctimoniæ prototypon, Ora pro nobis
Vas puritatis mundissimum, Ora pro nobis
Rosa patientiæ, Ora pro nobis
Spiritu propheticô imbute, Ora pro nobis
Sigilli Confessionis Sacramentalis, Custos invictissime, Ora pro nobis
Ad frangendum hoc Sacrum Sigillum frustra blanditiîs, & minîs sollicitate, Ora:

Ante & post torturam confessionem Augustæ propalare recusans, Ora pro nobis
Eligens potius mori, quàm minima confessionis Secreta prodere, Ora pro nobis
In tormentis perferendis patientissime & constantissime, Ora pro nobis
Ad mortem te sanctè semper disponens, Ora pro nobis.
Illatas tibi injurias patienter ferens, Ora:
Martyrii cupidissime, Ora pro nobis
Ob sigillum S. Confessionis integrè servatum in Moldavam flumen præcipitate, Ora pro nobis.
Martyr Dei inclyte, Ora pro nobis
Post mortem luminibûs noctu supra aquam juxta corpus tuum, coruscantibûs à Deo manifestate, Ora pro nobis.
Cujus sepulchrum miraculîs gloriosum, Ora pro nobis.
Bohemorum Thaumaturge & Patrone, Ora pro nobis.
Nobile depositum Urbis Pragenæ, Ora:
Patrone singularis famâ periclitantium, Ora pro nobis.
Agnus DEI qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.
Agnus DEI qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.
Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.
Christe audi nos, Christe exaudi nos &c.
Pater, noster, Ave Maria, &c. Ora

Ora pro nobis S Ioannes Nepomucene,
Ut digni efficiamur promissionibûs Christi.

Oremus

ADesto Domine precibus nostris quas in memoriam Sancti Ioannis Martyris tui fundimus: ut ejus intercessione, & meritîs ab infamia, & temporali derisu liberati, ante obitum confessi, & pænitentes ad æternæ beatitudinis portum venire mereamur. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

OFFICIUM
PRO FIDELIBUS
DEFUNCTIS.
AD MATUTINUM

Circumdederunt me gemitus mortis,
Dolores inferni circumdederunt me.

Hymnus.

DEitatis Paternitas, & Filii productio;
Spiritus Sancti charitas: & IESU Christi Passio,
Trinitatisque pietas, sint defunctis remissio
Peccatorum, ut Claritas detur eis cum gaudio.
Requiem æternam dona eis Domine.
Et lux perpetua luceat eis.

DEus qui hominem de limo terræ [ut Angelorum impleres ruinas] ad imaginem & similitudinem tuam creasti & for-

masti, ac ut ipsum ad locum perditum revocares, in cruce mortem passus fuisti: miserere quæsumus animabus omnium fidelium defunctorum, justitiam tuam per misericordiam mitigando; ne opera manuum tuarum propter carnis peccata damnentur quæ fragilia & ad peccandum prona creasti. Qui vivis & regnas, &c.

Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace, Amen.

Animæ eorum in bonis demorentur,
Et semen eorum hæreditet terram.

AD PRIMAM.

Circumdederunt me gemitus mortis,
Dolores inferni circumdederunt me.

Hymnus.

VEni Creator Spiritus mentes tuorum visita,
Per quem mundus est creatus, & omnia sunt condita,
Qui à nullo es genitus, dimitte nobis debita.
Requiem æternam &c, *cum Oratione & Versu ut supra.*

AD TERTIAM.

Circumdederunt me gemitus mortis,
Dolores inferni circumdederunt me.

Hymnus.

DEus à quo sunt omnia bona, dona victoriam,
Contra omnia vitia vivis, defunctis da veniam,

Et post hæc transitoria veniamus ad gloriam.
Defuncti quoque gaudia possideant per gratiam.
Requiem æternam, &c. *cum Oratione & Versu ut supra*

AD SEXTAM.

Circumdederunt me gemitus mortis,
Dolores inferni circumdederunt me.

Hymnus.

OStende nobis faciem tuam præmium Sanctorum,
Cum venerimus ad diem iræ, & judiciorum.
Justitiæ sævitiam mitigans, dans peccatorum
Veniam, atque requiem, in sæcula sæculorum.
Requiem æternam, &c. *cum Oratione, & Versu ut supra.*

AD NONAM

Circumdederunt me gemitus mortis,
Dolores inferni circumdederunt me.

Hymnus.

VIrgo carens criminibûs, te precor in auxilio,
Adstes, tuisque precibûs sis coram tuo Filio,
Et pro cunctis fidelibus fiat tua petitio.
Cum Sanctorum agminibus locet eos cum gaudio.
Requiem æternam, &c. *cum Oratione, & Versu, ut supra.*

AD

AD VESPERAS.

Circumdederunt me gemitus mortis,
Dolores inferni circumdederunt me.

Hymnus.

VOs deprecor humiliter intuitu pietatis,
Omnes Sanctos, & pariter Sanctas, ut intercedatis.
Pro cunctis reis, quatenus beatis,
Associentur benigniter ante thronum Sanctæ Trinitatis.
Requiem æternam, &c. *cum Oratione & Versu ut supra.*

AD COMPLETORIUM.

Circumdederunt me gemitus mortis.
Dolores inferni circumdederunt me,

Hymnus.

IN manus tuas Domine commendo spiritum meum,
Ut sicut sine crimine hominem te credo DEUM,
Qui pretiosô Sangvine redemisti mundum reum
Si hominem de crimine, salivaque formasti eum.
Requiem æternam dona eis, &c.

ORATIO.

REspice, quæsumus Domine, animas famulorum famularumquè tuarum & omni-

& omnium fidelium Christianorum defunctorum, pro quibus salvandis, nudîs expansîs manibûs in cruce pependisti, & quinque vulnera in corpore pertulisti, & amaram mortem subire voluisti. Qui vivis & regnas, &c.

Fidelium DEUS omnium Conditor & Redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum, remissionem cunctorum tribue peccatorum: ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piîs supplicationibûs consequantur. Qui vivis, &c.

Requiem æternam dona eis &c.

Requiescant in pace; Amen.

PRECATIONES DEVOTISSIMÆ Ad Sanctum Patriarcham

IOACHIM

In omni necessitate Patronum potentissimum.

Suscipe clementissime Deus, quas Majestati tuæ suppliciter deferimus preces & præsta; ut intercedente S. Patriarcha IOACHIM, cum Sancta Conjuge sua & Beatissima Prole, perfectam consequi mereamur peccatorum remissionem & gloriam sempiternam.

Quæsumus Omnipotens Deus, ut intercedentibûs Beati Ioachim Patris Geni-

tricis

tricis dilecti Filii tui Domini nostri IESU Christi, meritîs; tuæ gratiæ in præsenti & æternæ gloriæ in futuro participes esse mereamur. Per eundem Dominum nostrum IESUM Christum Filium tuum, &c.

O Domine Iesu Christe, qui glorificantes te, glorificas, & in Sanctorum tuorum honoribus honoraris; amplifica per orbem universum amorem & gloriam dilecti Avi tui Sancti Ioachim, cultoribus ejus vivis uberem largire gratiam, defunctis celerem dona requiem & gloriam sempiternam Amen.

Sancta Maria Mater DEI Filia gratiosissima Sanctorum Ioachim & Annæ intercede pro devotis amabilissimorum Parentum tuorum clientibus, ut perpetuum peccatorum omnium odium concipiant atque in amore Filii tui & cultu tuo, quotidianîs, proficientes augmentîs felici agone vitam consequamur æternam. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, Amen.

Divinum auxilium & S. Ioachim Patrocinium, maneat semper nobiscum, A.

Dignare me laudare gloriosum Patrem tuum Virgo Sacrata.

Da mihi virtutem ad promovendum ejus amorem & honorem.

Actus Deprecationis.

O ma-

O Magne Patriarcha, doleo medullitus, quòd tam serò agnoverim tuam incomparabilem excellentiam & dignitatem; nullòq; vel admodum exiguô cultu, Te sim veneratus. Promptior & zelosior, deinceps erô in cultu tuo, ut voluntati DEI, & Matris ejus satisfaciam & tarditatem meam aliquatenus compensem. O si omnia vitæ meæ momenta essent amoris & honoris tui incrementa.

Actus obligationis quotidie eliciendus.

GLoriosissime Patriarcha Ioachim, amori & honori tuo me totum addico. Suscipe me in clientem & servum perpetuum. Subveni gratiosè in necessitatibus meis & post vitam statui meo congruentem, deduc me in gloriam Filiæ ac Nepotis tui Domini mei clementissimi, Amen.

Sit Laus DEO Patri Summo Christo Decus, Spiritui Sancto, Tribus, honor unus. Amen.

DEVOTIO
AD
S. JUDAM
APOSTOLUM.

SAnctus JUDAS piæ cuidam personæ spectabilis; non sinè querulô animi

sensu

sensu testatus fuit; nimium paucos se ex omni hominum sorte cultores numerare, cùm tamen Deus plurimas iis, si qui forent gratias præparavit. Experti id sunt plurimi, maximè qui in rebus desperatis, ac pravis cogitationibus repellendis, ejus opem implorant. Et quid non à Deo magnus iste Sanctus impetrare valeat, qui non solùm parentem utrumq; fratres ternos, & binas sorores cum totidem nepotibus, sanctitate conspicuos est sortitus, sed arcta cum Christo ipso cognatione conjunctus, & cum eodem educatus fuit.

Hic Coapostolis omnibûs prior Evangelium prædicavit; Iudæam, Galilæam; Samariam, Peræam, Idumæam, Arabiam, Syriam, Mesopotamiam, eô fructu peragravit, ut in Syria cum Rege (quem per aquam Baptismi à lepra mundavit) plurimos converterit: in Babilone Regem cum 60. hominum millibus baptizaverit, ubiq; prodigiîs clarus solâ præsentiâ idolis indixit silentium, interceptam videndi, loquendique facultatem signô crucis restituit, serpentes innoxia manu tractavit. Verbô, Divo huic omnes creaturæ in miracula obtemperavêre, quæ omnia morte gloriosâ, fustibûs interemptus, coronavit, qui tanta fecit in vita, majora præstabit in gloria,

ria: modo tu ejus patrocinium constanti cultu demerearis.

Antiph: Qui timet DEUM faciet bona, & qui continens est justitiæ, apprehendet illam & obviabit illi quasi Mater honorificata. *Eccl:* 51.

S. Iuda Patrone fidelissime, Placato nobis DEUM clementiæ.

Oremus

DEUS, cujus bonitas, & clementia exhauriri non potest, aures benignitatis tuæ, famulorum famularumque tuarum precibus inclina, & præsta: ut omnes, qui te in Apostolo tuo Iuda Thadæo devotê recolunt, meritîs ejus efficacibus petitionis suæ effectum consequantur, Amen.

ORATIO
AD
S. IUDAM APOSTOLUM.

S. Iuda ora pro me,
Et pro omnibus qui colunt te.

Oremus

GLoriose Christi Cognate, Apostole & Martyr, S. Iuda, qui vastissimis in regionibus fidem efferatis gentibus dissemināsti, virtutibûs ac miraculîs clarus innumerabiles filios IESU Christo peperisti; per illum, qui te sibi Apostolum ad-

scivit

scivit precor, ut me miserum à consuetudine peccatorum meorum abstrahas, à cogitationibus immundis, me tuis meritis præserves; & in rebus desperatis tuo mihi adsis patrocinio; ac tandem ad cœlestem gloriam tuis precibus evehas; ubi S. TRINITAS adoratur in Patre, Filio, & S. Spiritu, Amen.

DEVOTIO

Ad Sanctum.

DISMAM

Pænitentem Latronem, Magnum Agonizantium Patronum.

NEc minùs mirabilis in S. DISMA Latrone fuit Deus, quem post scelera ad Sanctitatis gradum sublimavit, ut è latrone & Confessor, & Defensor Christi, & Martyr juxta S. Augustinum, Propheta, juxta S. Chrisostomum, Evangelista juxta S. Athanasium, & juxta S. Ambrosium primitiæ crucis Christi, effectus; primus Paradisi januas ingredi promeruerit. Cui id specialiter à DEO concessum videtur, ut seriæ pœnitentiæ, & gratiæ finalis impetrandæ Patronum agat. Quantùm proinde tibi bona mors est in votis, tantundem sit devotio erga magnum hunc Sanctum commendata. Complures pro felici

felici morte per eum obtinenda, anniversarium ejus commemorationis 25. Martij ferventiùs recolunt, cum alii singulis VI. Feriîs quâ Hic conversus feliciter obiit, Eum venerantur. Quare Sanctum ut ames, venereris, & longum æternitatis iter ingressurus, viæ comitem eligas, hortor; Hic te ducet optimè, qui primus ad cœlum viam invenit; hunc si sequeris rectà ad paradisum pervenies; quod tibi, mihiq; unicè opto.

Antiph: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. A modò jam dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis. *Apoc:* 14.

O DISMA Latro pœnitens,
Lectissime Patrone.
Sis mihi Tutor moriens.
Dum luctor in agone.

O R A T I O.

SAncte DISMA, qui mirâ DEI providentiâ ex nefario Latrone in eximium pœnitentiæ speculum evasisti, & paucas intra horas æterna tibi gaudia comparasti, aspice de sublimi gloriæ tuæ throno in hanc vallem miseriæ: recordare o Sancte mirabilis mentis humanæ fragilitatis, ad malum semper, quam ad bonum, magis proclivis, recordare & pro nobis DEUM apella, ut sicut per gratiam suam efficacem ad pænitentiam, ac Paradisi cœlestis gloriam te perduxit, ita

nos

nos famulos tuos, eâdem efficaci gratiâ ad dignos pœnitentiæ fructus impellat, ut peccata tecum abolentes, pièti-bi commoriamur, ac unà tandem in DEO salutari nostro perenniter exultemus, Amen.

LITANIÆ

De mirabili S. pænitente Latrone

DISMA.

Kyrie eleyson, Christe eleyson.
Kyrie eleyson.
Christe audi nos, Christe exaudi nos.
Pater de cœlis DEUS, Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi DEUS, Miserere:
Spiritus S. DEUS, Miserere nobis.
S. TRINITAS Unus DEUS, Miserere:
S. MARIA, Refugium peccatorum, Ora pro nobis.
S. Disma Latro pœnitens, Ora pro nobis.
S. Disma propè Christi Discipule,
S. Disma quem Christus horâ sextâ convertit.
S, Disma qui mediâ horâ ex nequam perfectissimus evasisti,
S. Disma Martyr & Collega Christi Martyrii.
S. Disma in sangvine tuo baptizate.
S. Disma testis innocentiæ Christi,
S. Disma Camille & Minister, Christi in sacrificio,

Ora pro nobis.

S. Di;

S. Disma primitiæ Crucis Christi atque credentium. Ora pro nobis.

S. Disma ut Latro crucifixe & repente Evangelista facte,

S. Disma ex Latrone propheta; & ex cruce prædicator.

S. Disma coram magna multitudine hominum, Christum Messiam è crucis suggestu prædicans.

S. Disma concionator illustris.

S. Disma qui Christum, quem Petrus negavit, confessus es.

S. Disma cui precibûs suîs Beatissima DEI Genitrix MARIA conversionem impetravit.

S. Disma Latroni blasphemanti silentium imponens.

S. Disma qui in cruce confessus es peccata tua.

S. Disma qui plenariam indulgentiam quò ad pænam, & culpam à Christo es consecutus.

S. Disma cui Christus ipsemet in cruce paradisum promisit.

S. Disma qui præcipuas virtutes, Fidē spem, charitatem, in cruce acceptas conservasti.

S. Disma magna aquila per áèrem volans in paradisum.

S. Disma cui voluntas bona in cruce profuit. Ora pro nobis.

Ora pro nobis. Ora pro nobis. Ora pro nobis.

S. Di-

S. Dismа qui prior quàm Apostoli in Paradisum pervenisti, Ora pro nobis.
S. Dismа primogenite Fili Christi crucifixi, Ora pro nobis.
Ut veram nobis contritionem, dignamq; satisfactionem à DEO impetrare digneris, Te rogamus audi nos.
Ut gratiam nobis, noxium in confessione pudorem abjiciendi, obtinere digneris Te rogamus audi nos.
Ut meritîs tuîs à lethalibus nos Deus noxis præservare & veniales clementer indulgere dignetur, Te ro:
Ut gratiam nobis in vera catholica fide vivendi obtinere digneris, Te rog:
Ut hostes infernales in pusillanimitatem, vel desperationem nos deturbare non prævaleant, Te rogamus audi:
Ut firmam nobis à DEO spem, & filialem in merita Christi fiduciam impetrare digneris,
Ut DEI roborati gratiâ, omnem erga proximum rancorem odium ac inimicitiam deponere valeamus,
Ut mentes nostræ te intercedente igne Divini amoris accendantur,
Ut omnes languores, & dolores à benigna DEI manu humiliter acceptare, & patienter perferre possimus,
Ut venerandîs Ecclesiæ Sacramentîs

Te rogamus audi nos.

Sacræ

Sacræ Euchariſtiæ & extremæ Unction s ante obitum muniri mereamur

Ut nobis gratiam in agone mortis, SS. IESU, MARIÆ, Nomina ore vel corde ſaltem devotè invocandi exorare digneris, Te rogamus audi nos.

Ut animas noſtras, à corpore ſeparatas in tutelam tuam ſuſcipere, & earum coram ſtricto judice, cauſas agere digneris. Te rogamus audi nos.

Venerande DISMA, S. mirabilis, Te rog:

Agnus DEI qui tollis peccata mundi,

Parce nobis Domine, &c.

Antiph: Beati mortui qui in Domino moriuntur, amodò jam dicit Spiritus ut requieſcant à laboribus ſuis. *Apocal*:

S. DISMA meomor ſis omnium,
Cum morte conflictantium.

Oratio ut fol. 171.

Alia Oratio ex Revelatione,

S. BRIGITTÆ.

BEnedictio æterna ſit Tibi Domine mi JESU Chriſte, qui exiſtens in mortis agonia, omnibus peccatoribus ſpem de venia tribuiſti, quando latroni ad te converſo, paradiſi gloriam miſericorditer promiſiſti, Amen.

DUÆ AUREÆ CÆLI CLAVES.

Quæ tibi Cœlum aperient
CHARITAS & CONTRITIO.

Clavis Charitatis.

IMpensè amo Te DEUS meus, & utinam amem impensiùs. Æstimo Te, admiror Te, amo Te verè, ô vita animæ, sed quid ita! quia tu omne bonum es, quia tu DEUS es, omni æstimatione, omni amore dignissimus; sed quantùm! amo Te super omnem magnitudinem, & potentiam, & gloriam, & pulchritudinem, & delectationem, super omnem amorem, super me ipsum, super bonum; quod Tu DEUS meus non es. Quis enim sicut tu DEUS noster? non est similis tibi ô amor meus, cujus magnitudini nulla quantitas, cujus potentiæ nulla facultas, cujus pulchritudini nullus splendor, cujus naturæ nulla bonitas æquari potest.

Usus Clavis Contritionis.

O Christe IESU doleo ex intimo corde me Divinam Majestatem Tuam peccatîs meîs toties offendisse, quia Tu es DEUS infinitè potens, sapiens, sanctus, & bonus cui hæc admodum displicent. Proinde firmiter statuo non ampliùs Te offen

offendere, omnes peccandi illecebras fugere, ritè confiteri, pœnitentiam implere; id quod obligor; resarcire. Quinimò ut pleniùs satisfaciam remitto ex animo; si quis me unquam offenderit, meque totum Tibi offero, omniaque, quæ mihi toleranda, vel agenda sunt. Utq; suppliciter peto veniam delictorum omnium, ita spero fore per merita pretiosissimi sangvinis tui, ut impetrem, tuaque gratiâ comite, vitam corrigam & ad mortem usque perseverem.

ORATIO.

Ad S. JOANNEM BAPTISTAM.

Antiph: Hic est præcursor dilectus & lucerna lucens ante Dominum; ipse est enim JOANNES, qui viam Domini præparavit in eremo, sed & Agnum DEI demonstravit, & illustravit mentes hominum. De quo Salvator ait: Nullus major inter natos mulierum JOANNE Baptista.

Elizabeth Zachariæ magnum Virum genuit,

IOANNEM Baptistam præcursorem Domini.

OREMUS.

SAncte IOANNES Baptista, qui necdum

natus, à necdum nato DEO Infante visitatus, ad MARIæ vocem, in gaudio exultasti, sanctificate in utero, nate sinè peccato ullo; ora pro me, ut in vitam sanctam renascar æternitatis. Magne & Sancte Præcursor Christi, sis Ductor meus in viam omnium virtutum, sis Ductor in viam æternitatis. Tu qui pœnitentiam prædicabas, impetra mihi, ut anima mea dignos pœnitentiæ fructus quàm primùm generet. Tu qui es vox clamantis in deserto, alloquere efficaciter animam meam, alloquere cor meum, corpus meum, omnes sensus meos, ut in omnibus DEUM quærant, ac super omnia ament, Amen.

LITANIÆ
De S. FRANCISCO
ASSISIENSI.

Kyrie eleyson; Christe eleyson. Kyrie eleyson.

Christe audi nos, Christe exaudi nos.
Pater de Cœlis Deus, Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, Miserere nobis.
Spiritus Sancte Deus, Miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, Miserere nobis.
Sancta MARIA, Ora pro nobis.
Sancte FRANCISCE Pater amabilis, Impetra nobis gratiam,
Pater admirabilis, Impetra nobis gra;
Pater benigne, Impetra nobis gratiam.

Pater venerabilis,
Vexillifer IESU Chriſti,
Eques crucifixi,
Imitator Filii DEI,
Seraphin ardens,
Formax charitatis,
Arca ſanctitatis,
Vas puritatis,
Forma perfectionis,
Norma juſtitiæ,
Speculum pœnitentiæ,
Prodigiorum patrator mirabilis,
Magiſter obedientiæ,
Exemplar virtutum,
Patriarcha pauperum,
Cultor pacis,
Profligator criminum,
Decus morum,
Fugator dæmonum,
Vivificator famelicorum,
Obſequium leproſorum,
Præco magni Regis,
Forma humilitatis,
Conſors ſublimitatis,
Victor vitiorum,
Planta Ordinis Minorum,
Lucerna populorum,
Martyr deſiderio,
Prædicator animalium ſilveſtrium,
Portans dona gloriæ,

Impetra nobis gratiam,

Impetra nobis gratiam.

Navis utens prodigiîs,
Cœlos cæcis aperiens,
Gratum gerens obiequium,
Tenens vitæ brachium,
Templum Christi consecratum,
Hostes malignos proterens,
Spargens virtutum munera,
Amplificans iter ad gloriam,

Impetra nobis:

Impetra nobis gratiam.

Agnus DEI, qui tollis peccata mundi,
Parce nobis Domine, &c.
Christe audi nos, Christe exaudi nos.
Kyrie eleyson, Chiste eleyson,
Kyrie eleyson. *Pater noster*, &c.

Antiph. Cœlorum candor splenduit, novũ sidus emicuit, sacer Franciscus claruit, cui Seraphin apparuit, signans eum charactere in volis, plantis, latere, dum formam crucis gerere vult, corde, ore, & opere.

℣. Signasti Domine servum tuum Franciscum,

℟. Signîs redemptionis nostræ.

ORATIO,

DEUS, qui mira crucis mysteria in Beato Francisco Confessore tuo multiformiter demonstrasti da nobis quæsumus devotionis suæ semper exempla sectari, & assidua ejusdem crucis meditatione muniri. Per Dominum nostrum IESUM Christum, Amen.

RE-

RESPONSORIUM

S. Bonaventuræ, de miraculis

S. ANTONII.

SI quæris miracula, mors, error, calamitas, dæmon, lepra, fugiunt, ægri surgunt sani. Cedunt Mare, vincula, membra, resque perditas petunt & accipiunt, juvenes & cani.

℣. Pereunt pericula, cessat & necessitas, narrent hi, qui sentiunt, dicant Padvani. Cedunt Mare, vincula, membra, resq; perditas petunt & accipiunt, juvenes & cani. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Cedunt Mare, vincula, membra, resque perditas petunt, & accipiunt, &c.

Ora pro nobis. S. Antoni,

Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMUS.

O Mitissime, ac benignissime Domine IESU Christe, qui S. ANTONIUM Confessorem Tuum, perpetuo miraculorum & prodigiorum splendore illustras: concede nobis misericorditer, ut id quod per merita ejus confidenter efflagitamus, ejus intercessione efficaciter consequi valeamus: Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum, Amen.

O R A T I O
Ad S. ANTONIUM
De Padua

O Sancte ANTONI de Pâdva, candidum & elegans lilium virginitatis, pretiosum monile paupertatis, Speculum abstinentiæ, forma puri, Stella splendens sanctitatis, ornamentum morum, pulchritudo Paradisi, columna sanctæ Ecclesiæ, Prædicator gratiæ, extirpator vitiorum seminator virtutum, consolator afflictorum, ardentissimus igne Divine amoris, & viva flamma charitatis, qui traxisti Filium Dei in tua brachia, & tua ignita prædicatione accendisti peccatores ardenti igne charitatis, Martyr desiderio, Divinus Propheta, terror dæmonum, horror inferni, & hortus omnium deliciarum. Ego paupercùlus & miser peccator affectu amoroso te rogo, & supplico, ut me teneas sub tua protectione, & impetres mihi veram contritritionem peccatorum meorum, humilitatem, donum lachrymarum, sanctam contemplationem, & cum sis ignis ardentissimus charitatis, te rogo, ut velis accendere hoc meum cor aridum & siccum ut igne Divini amoris relinquam me ipsum, mundum, diabolum, & carnem, Amen.

CUL-

CULTUS SS. VIRGINUM

Hymnus.

Ad S. CATHARINAM Virgi: & Mari:

GAude Virgo Catharina,
Quam refecit lux DIvina,
Ter quaternîs noctibûs.
Gaude, quod tuâ doctrinâ,
Philosophos à ruina,
Traxisti & erroribus.
Gaude quia meruisti,
Confortari voce Christi,
Per preces divinitus.
Gaude, quia convertisti,
Sponsam Regis, & vidisti,
Rotas fractas cœlitùs.
Gaude, sertîs coronata,
Et in Sina venerata,
Olei stillamine.
Esto nobis advocata,
Apud DEUM Virgo grata,
In nostro certamine.

Diffusa est gratia in labiis tuis,
Propterea benedixit te DEUS in æternum.

OREMUS.

OMnipotens sempiterne DEus ineffabilem misericordiam tuam, suppliciter

deprecamur: ut ſicut liquor de membris Beatæ Virginis & Martyris tuæ CATHARINÆ jugiter manans, languidorum corpora ſanat: ſic ejus S. Oratio à nobis iniquitates expellat: tentationes, & impugnationes dæmonis compeſcat: omnia mala à nobis avertat, in bono confortet, certantes in agone confirmet, & feliciter ex corpore hoc egreſſos, Tuæ Majeſtati in cœlorum Regno præsentet Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum.

HYMNUS

Ad S. Apolloniam Virg: & Mart: contra dentium dolorem Patronam.

VIrgo DEI egregia,
Pro nobis Apollonia,
Funde preces ad Dominum;
Ut tollat omne noxium.
Nè pro reatu criminum,
Morbô vexemur dentium,
Sed ſanitate corporis,
Gaudeamus & capitis.

℣. Specie tuâ & pulchritudine tuâ,
℟. Intende proſperè, procede & regna.

Oremus.

DEUS, pro cujus Sanctiſſimi Nominis honore B. Apollonia Virgo & Martyr glorioſa amaram & horribilem den-

dentium excuſſionem ſuſtinuit; Præſta quæſumus, ut qui ejus memoriam piâ devotione frequentant, à tetro dentium dolore immunes cuſtodias, & poſt hujus vitæ ærumnas, ad beatæ Patriæ gaudia perducas. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

ITINERARIUM

ANTIPHONA.

In viam pacis.

BEnedictus Dominus Deus, Iſràél: quia viſitavit & fecit redemptionem plebis ſuæ.

Et erexit cornu ſalutis nobis, in domo David pueri ſui.

Sicut locutus est per os Sanctorum, qui à ſæculo ſunt Prophetarum ejus

Salutem ex inimicis noſtris & de manu omnium qui oderunt nos

Ad faciendam miſericordiam cum Patribus noſtris: & memorari teſtamenti ſui ſancti.

Iusjurandum, quod juravit ad Abraham Patrem noſtrum: daturum ſe nobis

Ut ſinè timore de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſerviamus illi

In ſanctitate & juſtitia, coram ipſo: omnibûs diebûs noſtrîs.

Et tu puer Propheta Altiſſimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus.

Ad dandam scientiam salutis plebi ejus: in remissionem peccatorum eorum.

Per viscera misericordiæ DEI nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto.

Illuminare his, qui in tenebris, & in umbra mortis sedent: ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Antiphona.

IN viam pacis, & prosperitatis dirigat nos Omnipotens, & misericors Dominus, & Angelus Raphaël comitetur nobiscum in via, ut cum pace, salute, & gaudio revertamur ad propria.

Kyrie eleyson, Christe eleyson, Kyrie eleyson. *Pater noster &c.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem

℟. Sed libera nos à malo.

℣. Salvos fac servos tuos,

℟. DEUS meus sperantes in te.

℣. Mitte nobis Domine auxilium de Sancto,

℟. Et de Sion tuere nos.

℣. Esto nobis Domine turris fortitudinis.

℟. A facie inimici.

℣. Nil proficiat inimicus in nobis,

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

℣. Benedictus Dominus hodie & quotidie,

℟. Pro-

℟. Proſperum iter faciat nobis Deus ſalutarium noſtrorum.

℣. Vias tuas Domine demonſtra mihi,

℟. Et ſemitas tuas edoce me.

℣. Utinam dirigantur viæ meæ,

℟. Ad cuſtodiendas juſtificationes tuas.

℣. Erunt prava in directa,

℟. Et aſpera in vias planas.

℣. Domine exaudi orationem meam,

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiſcum,

℟. Et cum Spiritu tuo.

ORATIO.

DEUS qui filios Iſraël per maris medium ſiccô veſtigiô ire feciſti, quique tribus Magisiter ad te ſtellâ duce pandiſti, tribue nobis quæſumus iter proſperum, tempusq; tranquillum, ut Angelô tuô Sanctô comite, ad eum quo pergimus locum, ac demum ad æternæ ſalutis portum pervenire feliciter valeamus.

DEus, qui Abraham puerum tuum de Ur Chaldæorum eductum per omnes ſuæ peregrinationis vias illæſum cuſtodiſti quæſumus, ut nos famulos tuos cuſtodire digneris. Eſto nobis Domine in procinctu ſuffragium, in via ſolatium, in æſtu umbraculum, in pluvia & frigore tegumentum, in laſſitudine vehiculum, in adverſitate præſidium, in lubrico baculus, in naufragio portus, ut te duce, quò tendimus proſperè perveniamus,

mus, & demum incolumes ad propria redeamus.

ADesto quæsumus Domine supplicationibus nostris: & viam famulorum tuorum in salutis prosperitate dispone: ut inter omnes viæ, & vitæ hujus varietates, tuô semper protegamur auxiliô.

PRæsta quæsumus Omnipotens Deus ut familia tua per viam salutis incedat, & Beati Ioannis Pæcursoris hortamenta sectando ad eum, quem prædixit secura perveniat Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat Deus in sæcula sæculorum, Amen.

℣. Procedamus in pace,

℟. In Nomine Domini, Amen.

LITANIÆ
De Omnibus Sanctis.

KYrie eleyson, Christe eleyson,
Kyrie eleyson
Christe audi nos, Christe exaudi nos.
Pater de Cœlis Deus, Miserere nobis.
Fili Redmptor mundi Deus, *Miserere:*
Spiritus Sancte Deus, Miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, Miserere nobis.
Sancta MARIA, Ora pro nobis.
Sancta DEI Genitrix, Ora pro nobis
Sancta Virgo Virginum, Ora pro nobis.

Sancte

Sancte Michaël, Ora pro nobis.
Sancte Gabriel, Ora pro nobis.
Sancte Raphaël, Ora pro nobis.
Omnes Sancti Angeli & Archangeli,
Omnes Sancti Beatorum Spirituum ordines, Orate pro nobis.
Sancte Ioannes Baptiſta, Ora pro nobis.
Saucte Ioſeph, Ora pro nobis.
Omne Sancti Patriarchæ & Prophetæ, Orate pro nobis.
Sancte Petre, Ora pro nobis.
Sancte Paule, Ora pro nobis.
Sancte Andrea, Ora pro nobis.
Sancte Iacobe, Ora pro nobis.
Sancte Ioannes, Ora pro nobis.
Sancte Thoma, Ora pro nobis.
Sancte Iacobe, Ora pro nobis.
Sancte Philippe, Ora pro nobis.
Sancte Bartholomæe, Ora pro nobis.
Sancte Matthæe, Ora pro nobis.
Sancte Thadæe, Ora pro nobis.
Sancte Simon, Ora pro nobis.
Sancte Mathia, Ora pro nobis.
Sancte Barnaba, Ora pro nobis
Sancte Luca, Ora pro nobis
Sancte Marce, Ora pro nobis
Omnes Sancti Apoſtoli & Evangeliſtæ, Orate pro nobis
Omnes Sancti Diſcipuli Domini, Orate:
Omnes Sancti Innocentes, Orate:
Sancte Stephane, Ora pro nobis.

Sancte

Sancte Laurenti, ora pro nobis.
Sancte Vincenti, ora pro nobis.
Sancte Adalberte, ora pro nobis.
Sancte Stanislae, ora pro nobis.
Sancte Venceslae, ora pro nobis.
Sancte Floriane, ora pro nobis.
Sancte Floriane, & Sebastiane, orate pro:
Sancti Ioannes, & Paule, orate pro:
Sancti Cosma, & Damiane, orate pro:
Omnes Sancti Martyres, orate pro:
Sancte Silvester, ora pro nobis.
Sancte Gregori, ora pro nobis.
Sancte Ambrosi, ora pro nobis.
Sancte Augustine, ora pro nobis.
Sancte Hieronyme, ora pro nobis.
Sancte Martine, ora pro nobis.
Sancte Nicolae, ora pro nobis.
Sancte Casimire, ora pro nobis.
Omnes Sancti Pontifices & Confessores, orate pro nobis.
Omnes Sancti Doctores, orate pro nobis
Sancte Antoni, ora pro nobis.
Sancte Benedicte, ora pro nobis,
Sancte Bernarde, ora pro nobis.
Sancte Dominice, ora pro nobis.
Sancte Francisce, ora pro nobis.
Sancte Hyacinthe, ora pro nobis.
Sancte Ignati, ora pro nobis.
Sancte Francisce Xaveri, ora pro nobis.
Sancte Stanislae Kostka, ora pro nobis.
Omnes Sancti Sacerdotes & Levitæ, orate:

Sancta Anna, ora pro nobis
Sancta Maria Magdalena, ora pro nobis
Sancta Agata, ora pro nobis
Sancta Lucia, ora pro nobis
Sancta Agnes, ora pro nobis
Sancta Cæcilia, ora pro nobis
Sancta Catharina, ora pro nobis
Sancta Barbara, ora pro nobis
Sancta Anaſtaſia, ora pro nobis
Sancta Apollonia, ora pro nobis
Sancta Hedvigis, ora pro nobis
Sancta Eliſabeth, ora pro nobis
Omnes Sanctæ Virgines & Viduæ, orate:
Omnes Sancti & Sanctæ DEI, Intercedite pro nobis.

Propitius eſto, Parce nobis Domine.
Propitius eſto, Exaudi nos Domine.
Ab omni malo, Libera nos Domine.
Ab omni peccato, Libera nos Domine,
Ab ira Tua, Libera nos Domine.
A ſubitanea & improviſa morte, Libera:
Ab inſidiis diaboli, Libera:
Ab ira, & odio, & omni mala voluntate, Libera nos Domine.
A ſpiritu fornicationis, Libera:
A fulgure & tempeſtate, Libera:
A peſte, fame, & bello, Libera:
A morte perpetua, Libera:
Per myſterium ſanctæ Incarnationis Tuæ, Libera nos Domine.

Per Adventum Tuum, Libera:
Per Baptiſmum, & ſanctum jejunium Tuum, Libera nos Domine.
Per Crucem & paſſionem Tuam, Libera:
Per mortem & ſepulturam Tuam, Libera:
Per ſanctam reſurrectionem Tuam, Libera:
Per admirabilem aſcenſionem Tuam, Libe:
Per adventum Spiritûs Sancti Paracleti, Libera nos Domine.
In die judicii, Libera:
Peccatores, Te rogamus audi nos
Ut nobis parcas, Te rogamus audi nos
Ut nobis indulgeas, Te rogamus audi nos
Ut ad veram pœnitentiam nos perducere digneris. Te rogamus audi nos
Ut Eccleſiam ſanctam regere & conſervare digneris. Te roga:
Ut domnum Apoſtolicum & omnes Eccleſiaſticos ordines, in ſancta religione conſervare digneris., Te rogam:
Ut inimicos ſanctæ Eccleſiæ humiliare digneris, Te rogam:
Ut Regibus & Principibus Chriſtianis, pacem, & veram concordiam donare digneris; Te rogamus:
Ut cuncto populo Chriſtiano pacem & unitatem largiri digneris, Te roga:
Ut noſmetipſos in tuo ſancto ſervitio confortare & conſervare digneris, Te roga:
Ut mentes noſtras ad cœleſtia deſideria erigas; Te rogamus au:

Ut o:

Ut omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas, Te rogam.
Ut animas nostras fratrum, propinquorum, & benefactorum nostrorum, ab æterna damnatione eripias, Te rogamus
Ut fructus terræ dare & conservare digneris, Te rogamus audi nos.
Ut omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris; Te rogamus
Ut nos exaudire digneris, Te rogamus
Fili DEI; Te rogamus audi nos.
Agnus DEI qui tollis peccata mundi,
Parce nobis Domine;
Agnus DEI qui tollis peccata mundi,
Exaudi nos Domine;
Agnus DEI qui tollis peccata mundi,
Miserere nobi.
Christe audi nos, Chrste exaudi nos.
Kyrie eleyson, Christe eleyson,
Kyrie eleyson: *Pater noster &c.*
Et ne nos inducas in tentationem,
Sed libera nos à malo.

Psalmus. 60.

DEUS in adjutorium meum intende; Domine ad adjuvandum me festina.
Convertantur & revertantur qui quærunt animam meam.
Avertantur retrorsum, & erubescant qui volunt mihi mala.
Avertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi, euge, euge,

Exultent & lætentur in te omnes qui quærunt te: & dicant semper magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.

Ego vero egenus & pauper sum, Deus adjuva me.

Adjutor meus, & liberator meus es tu: Domine ne moreris.

Gloria Patri, & Filio & Spiritui Sancto, Sicut erat in principio &c.

℣. Salvos fac servos tuos;
℟. Deus meus sperantes in te.
℣. Esto nobis Domine turris fortitudinis;
℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in nobis.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.
℣. Domine non secundùm peccata nostra facias nobis.
℟. Neque secundùm iniquitates nostras retribuas nobis.
℣. Oremus pro Pontifice nostro N.
℟. Dominus conservet eum, & vivificet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in animam inimicorum ejus.
℣. Oremus pro benefactoribus nostris,
℟. Retribuere dignare Domine omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum, vitam æternam, Amen.
℣. Oremus pro fidelibus defunctis,

℟.

R. Requiem æternam dona eis Domine,
Et lux perpetua luceat eis,
V. Requiescant in pace, R. Amen.
V. Pro fratribus nostris absentibus.
R. Salvos fac servos tuos, Deus meus sperantes in te.
V. Mitte eis Domine auxilium de Sancto,
R. Et de Sion tuere eos.
V. Domine exaudi orationem meam,
R. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

DEUS, cui proprium est misereri semper, & parcere; suscipe deprecationem nostram; ut nos, & omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absolvat.

EXaudi quæsumus Domine, supplicum preces, & confitentium tibi, parce peccatis; ut pariter nobis Indulgentiam tribuas benignus & pacem.

INeffabilem nobis Domine, misericordiam tuam clementer ostende, ut simul nos & à peccatis omnibus exuas, & à pœnis, quas pro his meremur, eripias.

DEUS, qui culpâ offenderis pœnitentiâ placaris; preces populi tui supplicantis propitius respice, & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, averte.

Omni-

OMnipotens ſempiterne DEUS, miſerere famulo tuo Pontifici noſtro N. & dirige eum ſecundùm tuam clementiam in viam ſalutis æternæ ut te donante tibi placita cupiat, & totâ virtute perficiat.

QUæſumus Omnipotens DEus ut famulus tuus N. Rex noſter, qui tuâ miſeratione regni ſuſcepit gubernacula, virtutum etiam percipiat incrementa; quibûs decenter ornatus, & vitiorum monſtra devitare, & ad te qui via, veritas, & vita es, gratioſus valeat pervenire.

DEus, à quo ſancta deſideria, recta conſilia, & juſta ſunt opera: da ſervis tuis illam, quam mundus dare non poteſt, pacem: ut & corda noſtra mandatis tuis dedita, & hoſtium ſublata formidine, tempora ſint tuâ protectione tranquilla.

URe igne ſancti Spiritus renes noſtros, & cor noſtrum Domine: ut tibi caſtô corpore ſerviamus, & mundô corde placeamus.

FIdelium DEus omnium conditor & Redemptor animabus, famulorum famularumque tuarum remiſſionem cunctorum tribue peccatorum, ut indulgentiam, quam ſemper optaverunt piîs ſupplicationibûs conſequantur.

ACtiones noſtras, quæſumus Domine aſpirando præveni & adjuvando proſequere: ut

cuncta nostra oratio & operatio à te semper incipiat, & per te cœpta finiatur.

OMnipotens sempiterne DEUS; qui vivorum dominaris simul & mortuorum, omniumq; misereris, quos tuos fide & opere futuros esse prænoscis: Te supplices exoramus, ut pro quibus effundere preces decrevimus, quosque vel præsens sæculum adhuc in carne retinet vel futurum jam exutos corpore suscepit intercedentibus omnibus sanctis tuis, pietatis tuæ clemenitâ, omnium delictorum suorum veniam consequantur. Per Dominum nostrum JESUM Christum Filium Tuum qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritûs Sancti DEUS, per omnia sæcula seculorum, Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Exaudi nos omnipotens & misericors Dominus. ℟. Amen.
℣. Et fidelium animæ per misericordiam DEI requiescant in pace,
℟. Amen.

ORATIO.

Tempore pestis, famis, aut belli.

DA nobis, quæsumus Domine, piæ supplicationis effectum & pestilentiam famemque propitius averte: ut mortalium corda cognoscant, & te indignante talia flagella prodire, & te miserante cessare. Per Domi-

Dominum nostrum Jesum Christum Filium Tuum qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs Sancti Deus, Per omnia sæcula sæculorum. Amen.

PRECES MISCELLANEÆ.

Intentio ad Matutina.

Suscipe sancte Pater Omnipotens æterne Deus, hoc diei hujus auspicium, accipe totius diei obsequium! quod Divinæ Majestati tuæ offero in gratiarum actionem pro beneficijs, in satisfactionem pro delictis, in unione sanctissimorum operum dilectissimi Filii tui, in quo tibi benè complacuit Per eundem, &c.

Ante quodlibet opus.

Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina.

Post opus peractum.

Sit nomen Domini benedictum ex hoc nunc & usque in sæculum.

ORATIO ALEXANDRI PAPÆ VII

Singulis diebus manè recitanda.

Adoro te Sanctissima Trinitas, Pater, & Filius, & Spiritus S. tres Personæ, unus, & solus Deus.

Dejicio me in abyssum mei nihili, sub conspectu Divinæ Majestatis tuæ.

Credo firmissimè paratus mille vitas profundere, in contestationem omnium eorum, quæ nobis in sacra scriptura revelasti, & per Ecclesiam tuam credenda proposuisti.

Omnem spem meam in te colloco, & quidquid possum habere boni, sive spiritualis, sive corporalis, & in hac, & in altera vita, id totum desidero, spero, & volo consequi de tua manu, Deus meus, vita mea, & unica spes mea.

Consigno tibi hodie. & in perpetuum, corpus & animam meam. omnes potentias meas memoriam, intellectum, voluntatem, & omnes sensus meos.

Protestor, me non consentire, neq; consensurum unquam, quantùm in me est, in ullam rem, quæ fiat vel cum minima offensa tuæ Divinæ Majestatis.

Propono firmissimè, impendere omne esse meum, facultates ac vires, meas, ad servitium, & gloriam tuam.

Paratus sum suscipere, quascunq; adversitates mihi Paterna tua manus immiserit, ad dandum gustum beatissimo cordi tuo.

Vellem me totum, quantus quantus sum impendere; & procurare, ut ab omnibus tibi serviatur, atq; omnes homines te glorificent,

nificent, & ament DEUM Creatorem suum.

Gaudeo summè de tua æterna felicitate, & exulto de tua tam magna gloria, in cœlo, & in terra.

Gratias tibi ago infinitas, pro innumeris beneficiis, quæ mihi & toti mundo collata sunt, & in dies incessanter à benignissima tuâ providentiâ conferuntur.

Amo infinitam bonitatem tuam, propter seipsam, ex toto affectu cordis, & animæ meæ; & vellem si possem, amare eô amore, quô te amant omnes Angeli, & homines justi, cum quorum amore conjungo imè perfectissimum amorem meum.

Offero Divinæ Majestati tuæ, in unione meritorum, passionis, vitæ & mortis Christi, Beatissimæ semper Virginis, & omnium Sanctorum, nunc pro semper omnia opera mea, pretiosissimô sanguine Iesu Redemptoris nostri lota & involuta.

Statuo omnino, participem me facere, quantùm possibile est, Indulgentiarum omnium, per actiones hujus diei, & illas applicare per modum suffragii pro animabus purgatorij.

Volo etiam omne illud, quod possum offerre in pœnitentiam, & satisfactionem meorum peccatorum.

Deus meus, cùm tu sis infinitè dignus omni

mni amore, & servitiô, siquidem tu es, qui es, doleo quantùm possum maximè, de omnibus peccatis meis, illaque detestor supra omnia mala; peto humillimè veniam, facioquè firmissimum propositum, nunquam offendendi tuam bonitatem in æternum.

In vulnera tua me proijcio ô Iesu! ibi me absconde & defende, hodie & semper donec largiaris mihi gratiam videndi tui, & amandi te in æternum. Iesus! Maria! Ioseph Vobis dono meum cor, & animam meam.

Sui ipsius oblatio.

A S. IGNATIO, S. I. F. *USURPATA.*

SUscipe Domine universam libertatem meam, accipe memoriam, intellectum, & voluntatem meam omnem, quidquid habeo, vel possideo, mihi largitus es, id totum tibi restituo, & tuæ voluntati prorsus trado gubernandum, Amorem tui solum cum gratia tua mihi dones, & dives sum satis, nequè aliud ultra posco. Qui vivis & regnas, &c.

AFFECTUS S. IGNATII.

O DEUS! ego amo te,
Nam prior tu amasti me;
En libertate privo me,
Ut sponte vinctus sequar te.
Nil suggerat memoria,

Niſi de tua gloria,
Nil intellectus ſapiat,
Præterquam ut te capiat;
Proteſtor nihil velle me,
Niſi quod ſciam velle te;
Qvæ donô tuô, mea ſunt,
Hæc donô meô tua ſunt.
A te accepi, recipe,
Quid iis velis, præcipe,
Guberna, ſicut ſcis, & vis,
Nam ſcio, quod amator ſis.
Amore ſolô dona me,
Ut ego quoque amem te,
Et vigil, & per ſomnia,
Hæc dando, dabis omnia.

A F F E C T U S
S. FRANCISCI XAVERII.

O DEUS! ego amo te:
Nec amo te, ut ſalves me,
Aut quia non amantes te,
Æternô punis igne.
Tu, tu mi IESU, totum me,
Amplexus es in Cruce,
Tuliſti clavos, lanceam,
Multamque ignominiam,
Innumeros dolores
Sudores, & angores,
Ac mortem; & hæc propter me,
Ac pro me peccatore,
Cur igitur non amem te?

O! IE

O IESU amantiſſime!
Non ut in cælo ſalves me;
Aut ne æternum damnes me,
Nec præmii ullius ſpe;
Sed ſicut Tu amaſti me,
Sic amo, & amabo te,
Solùm quia Rex meus es
Et ſolùm, quia DEUS es.

Ejuſdem, pro converſione Gentilium, Hæreticorum & peccatorum.

ORATIO.

ÆTerne rerum omnium effector, DEUS, memento abs te animas infidelium, hæreticorum, & peccatorum procreatas, eaſque ad imaginem & ſimilitudinem tuam conditas. Ecce Domine, in opprobrium tuum hîs ipsîs infernus repletur. Memento, IESUM dilectum Filium tuum pro illarum ſalute atrociſſimam ſubiiſſe necem. Noli quæſo Domine ultrà permittere, ut Filius tuus ab infidelibus, hæreticis, & peccatoribus contemnatur, ſed precibus ſanctorum virorum & Eccleſiæ ſanctæ, Filii tui Sponſæ, placatus, recordare miſericordiæ tuæ, & oblitus idololatriæ, infidelitatis, contumeliæ, & malitiæ eorum, effice, ut ipſi quoque agnoſcant, timeant, diligant aliquando, quem miſiſti Dominum noſtrum IESUM Chriſtum, qui eſt ſalus, vi-

ta, & resurrectio nostra per quem salvati & liberati sumus, cui sit gloria per infinita sæcula sæculorum, Amen.

Pro zelo animarum.

QVanti sit pretii anima, tu nosti DOMINE IESU, qui te pro animabus nostri impendisti; da ut semper magis ac magis illud ipsum ego cognoscam, tum ut nè illam vel cum totius mundi, lucro deperdam, tum ut vel unius animæ salutem etiam cum corporis mei, & mundi totius detrimento, procurem, ità rogo per vulnera IEsU Christi, per ubera benedictæ Matris, Per conceptionem Ejusdem, Amen.

ORATIO.
S. THOMÆ AQVINATIS.

Ad emendationem vitæ quotidie recitanda.

COncede mihi, misericors DEUS, quæ tibi placita sunt ardenter concupiscere, prudenter investigare, veraciter agnoscere, perfectè adimplere. Ad laudem & gloriam nominis tui ordina statum meum: & quod à me requiris, ut faciam, tribue ut sciam; Et da exequi sicut oportet, & expedit animæ meæ. Da mihi DOMINE DEUS meus, inter prospera & adversa non deficere: ut in illis non extollar, in istis non deprimar

deprimar de nullo gaudeam, vel doleam, nisì quod ducat ad te, vel abducat à te. Nulli placere appetam, vel diſplicere timeam, niſi tibi. Vileſcant mihi Domine omnia tranſitoria, & cara mihi ſint omnia tua propter te, & tu DEUS ſuper omnia. Tædeat me gaudii, quod eſt ſinè te, nec aliquid cupiam, quod eſt extra te. Delectet me Domine labor, qui eſt pro te, & tædioſa ſit mihi omnis quies, quæ eſt ſinè te. Frequenter da mihi Domine cor ad te dirigere, & in defectione mea cum emendationis propoſito dolendo penſare. Fac me. Domine DEUS, obedientem ſinè contradictione, pauperem ſinè defectione, caſtum ſinè corruptione, patientem ſinè murmuratione, humilem ſinè fictione, hilarem ſinè diſſolutione, triſtem ſinè dejectione, maturum ſinè gravitate, agilem ſinè levitate, timentem ſinè deſperatione, veracem ſinè duplicitate, operantem bona ſinè præſumptione, proximum corrigere ſinè elatione, ipſum ædificare verbô & exemplô ſinè ſimulatione, Da mihi Domine DEUS cor pervigil, quod nulla abducat à te curioſa cogitatio: da nobile, quod nulla deorſum trahat indigna affectio, da rectum quod nulla obliquet ſiniſtra intensio: da invictum, quod nulla frangat tribulatio: da liberum, quod nulla ſibi vendicet, perverſa & violenta affectio: Lar-

gire mihi DOMINE DEUS meus, intellectum te cognoscentem, diligentiam te quærentem, sapientiam te invenientem, conversationem tibi placentem, perseverantiam te fideliter expectantem, & fiduciam te fideliter amplectentem; tuis pœnis configi per pœnitentiam, tuis beneficiis uti in via per gratiam, & tandem tuis gaudiis in patria perfrui per gloriam. Qui cum Patre, &c.

Devoti Adolescentis.

CUstodi me quæso, Pater cœlestis, nunc & semper, ne in eam peccandi consuetudinem incidam, ut necesse sit in senectute juventutis meæ crimina deflere; sed potiùs virtutibus magis, magisque proficiam, tranquillâ & purâ conscientiâ tibi deserviens. Defende me ab omnibus inimicis qui mihi multa machinantur in his, quæ ad animam, vel corpus meum pertinent, quiquè me seducere, & quæ impia sunt, student docere. Ante omnia commendo tibi castitatem corporis mei, ut ea non tantum immunis sit ab omni violentia, vel illicito consensu; sed ut ego eam nec per impuram cogitationem, nec per obscœnam locutionem polluam, Fac ut Parentibus, & iis, quorum tutelæ traditus sum, in omni obedientia & humiltate serviam; & da mihi gratiam ut in omnibus tuam sanctam voluntatem faciam, & ad quam me vivendi

rationem vocaveris promptus sequar.

Tempore tentationis

MI DEUS, insurrexerunt contra me maligni, tuâ me gratiâ corrobora. Mi DEUS, ligato meum consensum; nolo enim libertatem, nisi ad te honorandum, tibiquè serviendum. Recedite à me maligni, nolo vos audire. Discedite à me, omnes qui operamini iniquitates, quoniam exaudiet DOMINUS vocem fletus mei. Domine vim patior, responde pro me.

In quacunque tribulatione.

MIserere Domine, miserere mihi miserrimo pecatori, indigna agenti, & digna patienti; si penso malum, quod quotidie feci, non est tantum quod patior: gravius est, quod commisi, levius est, quod tolero. Tu justus es Domine, & rectum judicium tuum; omnia judicia tua justa sunt & vera: justus & rectus es Domine DEUS noster, & non est ulla iniquitas in te; non enim injuste, neque crudeliter affligis nos peccatores, omnipotens & misericors Domine, qui cùm non essemus, potentiâ tuâ fecisti nos, & cùm perditi fuimus culpâ nostrâ, pietate & bonitate tua mirabiliter reparasti nos. Scio & certus sum, quod vita nostra non temerariis motibus agitur, sed à te Domino DEO nostro regitur & disponitur, unde tibi cura est de omnibus,

præcipuè de servis tuis, qui totam spem suam posuerunt in sola misericordia tua. Idcirco obsecro & suppliciter rogo, ut non facias mihi secundum peccata mea, quibus iram tuam merui, sed secundùm magnam misericordiam tuam, quæ superat etiam peccata totius mundi. Tu Domine, qui exteriùs flagella irrogas, da semper interiùs indeficientem patientiam, ita,ut laus tua non recedat ab ore meo. Miserere mei, & adjuva me, sicut tu nôsti, quod mihi est necesse in corpore & anima. Scis omnia, potes omnia, qui vivis in sæcula, Amen.

Resignatio in voluntatem Divinam tempore adversitatis.

DUlcissime Domine Deus meus, memento quæso, & considera me pauperem creaturam tuam, te verò Dominum & Creatorem meum esse. Ecce ego me in æquissimum judicium tuum offero, & gratissimæ voluntati tuæ integre me resigno, paratus hunc, & alium quemvis inimicum, quamdiu tibi placuerit, sustinere: utere me sicut vis, in tempore & æternitate; quidquid tu cœlestis Pater in me & de me decreveris, facito: sic enim in te transfusus præstò sum, ut recipiam è potentissima tua manu, quidquid sive blandioris sive malignioris formam mihi obvenire volueris.

Vis vivam; placet vita, si mavis moriar, mors non displicet, volens etiam obibo; si sanum esse jubes, valeam, si infirmum, mortem jam centempsi, morbos nihil moror: si opes largiris, accipio: repetis, reddo: si honoribus cumulas, manum dantis exosculor: si ignominiâ afficis, non abhorreo. Solaris mœrentem? ridebo: malorum & dolorum nubem effundis? non me terrebit imminens tempestas. si homines amant, si odiô insectantur, nihil moror, orabo etiam pro inimicis: denique si irruant ferratæ acies, stabo in arena, & laudes tuas accinam. Quare nolo oculos habere, nisi qui te respiciant: nolo aures, nisì quæ tibi auscultet. linguam exspuo, nisì de te loquatur, rumpatur cor. nisi te amet: excidat memoria, nisi te recolat: pereat mens, nisi de te cogitet: nolo manus, nisi quæ tibi famulentur: non pedes, nisi qui te quærant: denique corpus nolo, nisi ut tibi victima cadat, imò nè vitam quidem, nisi quam tibi imolem. In summa, ità tuus esse volo, ut me ipso spoliatus, quidquid sum aut possum, tibi uni rursus transcribam. Ad hæc: velle nolo, & volo nolle, nisi quomodo, quando, & quantum ipse velis, aut nolis: sic nimirum, ut semper & ubique id unicè arrideat, quod tibi magis cognovero placere.

Viciſſim à te peto hoc unum: cuſtodi me ab omni peccato, & non timebo mortem, nec infernum, dummodo in æternum me non projicias, nec deleas me de libro vitæ; non mihi nocebit, quidquid venerit tribulationis ſuper me. Ex quo ſit nomen ſanctum tuum nunc, & in æternum ſuper omnia benedictum.

ORATIO SANCTI THOMÆ
Ante Studia.

CReator ineffabilis, qui de theſauris ſapientiæ tuæ tres Angelorum Hierarchias annotâſti, & eas ſuper cœlum Empyreum miro ordine collocâſti, atquè elegantiſſimè partes nniverſi diſtribuiſti. Tu inquam, qui verus fons luminis & ſapientiæ diceris; atque ſupereminens principium, infundere digneris ſuper intellectus mei tenebras; tuæ radium claritatis; duplices, in quibus natus ſum, à me removens tenebras, peccatum ſcilicet, & ignorantiam. Tu qui linguas infantium facis eſſe diſertas, lingvam meam erudias, atq, in labiis meis gratiam tuæ benedictionis infundas. Da mihi intelligendi acumen, retinendi capacitatem, interpretandi ſubtilitatem, addiſcendi facilitatem, loquendi gratiam copioſam; ingreſſum inſtruas, progreſſum dirigas, egreſſum compleas, Per Chriſtum, &c.

ORA-

O R A T I O

Ad B. V. M A R I A M,

Et ſimul ad S. JOHN: Evange:

O Intemerata, & in æternum benedicta; ſingularis atque incomparabilis Virgo DEI Genitrix MARIA! gratiſſimum DEI Templum, Spiritus ſancti ſacrarium, janua Regni cœlorum, per quam, poſt DEUM, totus vivit orbis terrarum. Inclina Mater miſericordiæ, aures tuæ pietatis, indignis ſupplicationibus meis: & eſto mihi maximo peccatori, pia & propitia in omnibus auxiliatrix. O Ioannes beatiſſime Chriſti familiaris & amice! qui ab eodem Domino noſtro IESU Chriſto Virgo es electus, atque inter cæteros magis dilectus, & in myſterijs cæleſtibus ultra omnes imbutus; Apoſtolus enim, & Evangeliſta factus es præclariſſimus: te etiam invoco cum MARIA Matre ejuſdem Domini noſtri IESU Chriſti Salvatoris, ut mihi opem tuam cum ipſa conferre digneris. O duæ gemmæ cœleſtes, MARIA & Ioannes! ò duo luminaria, divinitus ante DEUM lucentia! veſtrîs radiîs, ſcelerum meorum effugate nubila. Vos enim eſtis illi duo, in quibus unigenitus DEI Filius, ob ſinceriſſimæ Virginitatis meritum, dilectionis ſuæ confirmavit

vit privilegium, in Cruce pendens uni vestrum ità dicens; Mulier ecce Filius tuus; deinde ad alterum: ecce Mater tua. In hujus ergo tam sacratissimi amoris dulcedine, quâ tunc ore dominico, velut Mater & Filius, ad invicem conjuncti estis; vobis duobus, ego miserrimus peccator commendo hodie corpus, & animam meam: ut in omnibus horis atque momentis, interiùs, & exteriùs firmi custodes, & pii apud DEUM intercessores mihi existere dignemini mihi Poscite quæso, corporis & animæ salutem: agite quæso, agite vestris gloriosis sprecibus, ut cor meum invisere, inhabitare dignetur Spiritus almus, gratiarum largitor optimus, qui me à cunctis vitiorum sordibus expurget, virtutibus sacris illustret, & exornet, in dilectione DEI, & proximi mei perfectè stare, & perseverare me faciat, & per hujus vitæ cursum, ad gaudia ducat Electorum suorum benignissimus Paraclitus: qui cum DEO Patre, & Filio vivit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

ELEN-

ELENCHUS
UNIVERSALIS
Variarum Devotionum in hoc Libro Contentarum.

Litani-

Orati:

Ad M. D. G. B. V. M.
SS. PP.
Cultum.

Lau.

Laudet. Jesus